Begodt, Georgius
De oratione Kat
andokidou

DE ORATIONE
ΚΑΤ ΑΝΔΟΚΙΔΟΥ,
QVAE SEXTA INTER LYSIACAS FERTVR.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE
MONASTERIENSI RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

GEORGIVS BEGODT
RHENANVS.

MONASTERII GUESTFALORUM
TYPIS ROBERTI NOSKE BORNENSIS
MCMXIV.

CONSENSV ET AVCTORITATE ORDINIS PHILOSOPHORVM HANC COMMENTATIONEM EXPRESSAM ESSE TESTATVR

GERHARDVS SCHMIDT
ORDINIS PHILOSOPHORVM H. A. DECANVS.

AD ORDINEM PHILOSOPHORVM DE COMPROBANDA DISSERTATIONE RETTULIT

CAROLVS MVENSCHER.

PATRIS ET SORORIS
MEMORIAE.

Index capitum.

Raro quodam ac felici casu factum est, ut orationum in lite *ἀσεβείας* in Andocidem intenta non solum rei defensio (And. I), verum etiam accusatio nobis servata sit, quae sexta inter orationes Lysiacas fertur. Cum vero codex ille Palatinus X (Heidelbergensis 88), ex quo solo orationum Lysiacarum inde ab III usque ad XXXI memoriam pendere demonstravit H. Sauppe, (Epistula critica ad G. Hermannum, Lipsiae 1841, p. 7 sq. = Ausgewählte Schriften, Berlin 1896, p. 87 sq.) et multis mendis illatis et totis foliis amissis turpissime depravatus sit, haec sexta quae fertur Lysiae oratio adeo est afflicta, ut exordium duobus codicis foliis deperditis ad nos non pervenerit et media in oratione cogitationum nexus magna lacuna interruptus sit. Qua misera codicis condicione magna ex parte factum est, ut variae discrepantesque de hac oratione sententiae a viris doctis proferrentur; sed Lysiam auctorem huius orationis non esse omnes fere consentiunt.

Iam antiquos grammaticos de auctore dubitavisse Harpocratio lexicographus docet, qui cum hanc orationem ter commemoret (s. v. *καταπλήξ, ῥόπτρον, φαρμακός*) vocibus ex illa laudatis bis addit illa verba *εἰ γνήσιος ὁ λόγος.*[1]) Atque etiam titulum orationis, qui in codice Palatino simul cum initio opusculi interiit, Harpocrationi soli nos debere dixerunt F. Blaß (Attische Beredsamkeit I², Leipzig 1887, p. 562) et V. Schneider (Jb. f. kl. Phil. Suppl. XXVII 1902 p. 352), sed falso, cum index, qui codici Palatino X praemissus et a Th. Thalheimio (Lysiae orationes ed. Lipsiae 1901) praef. p. IV, a C. Hudio (Lysiae orationes ed. Oxonii 1912) praef. p. III descriptus est, titulum memoriae tradiderit: *κατ᾽ Ἀνδοκίδου ἀσεβείας.*

Recentiore autem aetate eam spuriam esse contenderunt hi viri docti:

> Primus D. Ruhnken (Historia critica oratorum Graecorum, quam praemisit Rutili Lupi editioni, Lugduni Bat. 1768, p. 50 = Opuscula I² 1823 p. 324) de Lysia auctore dubitavit;

---

[1]) *καταπλήξ: ὁ συνεχῶς πεπληγμένος, Λυσίας ἐν τῷ πρὸς Αἰσχίνην τὸν Σωκρατικόν, ἐν τῷ κατ᾽ Ἀνδοκίδου ἀσεβείας, εἰ γνήσιος ὁ λόγος. φαρμακός: Λυσίας ἐν τῷ κατ᾽ Ἀνδοκίδου ἀσεβείας, εἰ γνήσιος ὁ λόγος.*

non litis tempore eam conscriptam esse, sed originem traxisse a rhetore quodam posteriore contendit

J. Sluiter (Lectiones Andocideae, Lugduni Bat. 1804, p. 169) eam ortam esse ratus ea aetate, „qua ad exemplum Demetrii Phalerei pro veris in foro causis fictas in scholis agere atque in umbra declamare coeperint".

Horum sententiae adstipulati sunt

A. G. Becker (Andocides übersetzt und erläutert, Quedlinburg 1832, p. 5 sqq.).

Al. Falk (Die Reden des Lysias übersetzt und erläutert, Breslau 1843, p. 87 et p. 355).

C. M. Francken (Commentationes Lysiacae, Traiecti ad Rhenum 1865, p. 44 sqq.).

H. van Herwerden (Lysiae orationes schol. in usum ed., Groningae 1899, p. 39 sq.).

W. Schmid autem (W. Christ, Gesch. der gr. Liter. bearbeitet von W. Schmid I^{6}, München 1912, p. 554 n. 8) eam non multo ante Harpocrationem esse confictam censuit;

a rhetore quodam Andocidis Lysiaeque aequali iudicialis orationis speciem et formam imitato eam compositam esse arbitratus est

J. H. Lipsius (Andocidis orationes ed. stereot., Lipsiae 1888, p. X praefationis n. 35).

Similiter

J. Bruns (Das literarische Porträt der Griechen im V. und IV. Jahrh., Berlin 1896, p. 479 et p. 521 sq.).

eam pro invectiva habuit; cuius sententiae rationes accuratius exposuit

W. Weber (De Lysiae quae fertur contra Andocidem oratione, Diss. Lipsiae 1900).

Contra forensem i. e. in ipsa Andocidis lite ante iudices eam habitam esse contenderunt

P. P. Dobree (Adversaria critica ed. Wagner I, Berlin 1874, p. 196).

L. Hoelscher (De vita et scriptis Lysiae, Berolini 1837, p. 67); idem, (Quaestiunculae Lysiacae, progr. Herford 1857, p. 12).

R. Rauchenstein in Hoelscheriani opusculi censura (Neue Jbb. f. Phil. u. Paed. 1869, p. 326),

A. Kirchhoff (Andocidea, Hermes I 1866 p. 7 sq.).

G. Perrot (L'éloquence politique et judiciaire à Athènes, Paris 1873, p. 194, quam commentationem antea in publicum ediderat in Revue des deux mondes, tome 93, 1871 p. 654).

R. C. Jebb (The Attic orators, I² London 1893, p. 281 sq.).

Th. Bergk (Griechische Literaturgeschichte IV, Berlin 1887, p. 356 sqq.).

F. Blaß (l. c. p. 566) idem (Andocidis orationes, ed. quartam cur. C. Fuhr, Lipsiae 1913, praef. p. XX).

L. P. Roegholt (Ps. Lysiae oratio contra Andocidem, Diss. Groningae 1893, p. 8).

U. de Wilamowitz-Moellendorff (Aristoteles und Athen II, Berlin 1893, p. 74 N. 5; idem, Textgeschichte der griechischen Lyriker, Abh. d. Göttinger Ges. d. Wissensch. N. F. Bd. 4, Berlin 1900, p. 83 N. 2).

Α. Ι. Ζάκας (*Λυσίου λόγοι καὶ ἀποσπάσματα* II *Ἐν Ἀθήναις* 1910, p. 216 sqq.).

qui viri docti Lysiam hoc opusculum non scripsisse consentiunt, Theodoro vero Byzantio tribuerunt Th. Bergk et L. P. Roegholt.[2])

Atque Theodori Bergk sententiam, qui Theodorum Byzantium auctorem esse primus suspicatus est, novis argumentis prolatis confirmare conati sunt, quamquam orationem non in iudicio habitam, sed exercitationis causa compositam esse rati sunt,

E. Drerup (Berl. philol. Woch. XXI 1901 p. 251); idem (Jbb. f. kl. Phil. XXVII Suppl. 1902 p. 337 sqq.).

V. Schneider (Ps. Lysias *κατ' Ἀνδοκίδου ἀσεβείας* (VI) Jbb. f. kl. Phil. XXVII 1902 p. 352—372) cuius de orationis natura iudicium non prorsus sibi constat, cum p. 367 orationem esse *μελέτην*, p. 372 invectivam sophisticam rhetoris cuiusdam affirmaverit.

Denique Lysiam auctorem esse censuerunt

Joh. Franz (De Lysia oratore Attico, Norimbergae 1828, p. 8 sqq.).

C. Hude (Lysiae orationes, ed. Oxonii 1912) qui eam uncis non inclusit haec praefatus p. X: „ego quidem ut in re incerta hanc rationem secutus sum, ut dubias (scil. orationes) Lysiae tribuerim";

---

[2]) C. Scheibe, Lysiae orationes², Lipsiae 1887, p. LXXX, utrum cum Hoelschero eam Meleto tribuendam an a rhetore posteriore confectam esse putaret, apertis verbis non dixit.

quibus cum viris doctis fecit

G. Zutt (Die Rede des Andocides περὶ τῶν μυστηρίων und die Rede des Lysias κατ' Ἀνδοκίδου I. Teil, Progr. Mannheim 1891)

sed ita, ut orationem, quam habemus, ex vera Lysiaca excerptam esse censeret.

Priusquam autem ad ipsam disputationem de VI. quae fertur Lysiae orationis authentia atque fide accedam, paucis disseram de Andocidis vita, ut cognoscamus, quibus causis commoti adversarii tanto Andocidis odio flagraverint, ut neque alias eum vexare umquam desinerent et tunc temporis ei hanc litem intenderent.

Andocides[3]) cum anno 415 de Hermis mutilatis in suspicionem incidisset et in vincula coniectus esset, mortis timore commotus nomina amicorum nobilium detulit, ut ipse impunitate data vitam servaret, sed paulo post nobilibus ipsis auctoribus Isotimides quidam rogavit, ut quicumque flagitium confessus esset, a foro et templis arceretur. Quo populiscito perlato Andocides Athenis aufugere coactus mercaturae causa externas adiit terras. Et primum quidem quadringentis illis rem publicam Atheniensium administrantibus, postea anno fere 407 domum redire frustra conatus est; nam quamquam oratione περὶ τῆς ἑαυτοῦ καθόδου, quam secundam in corpore Andocideo habemus, cives imploraverat, ut Isotimidis psephismate sublato impunitatem antea sibi decretam restituerent, tamen inimicorum auctoritatem vincere non potuit. Denique post triginta tyrannos eversos oblivione rerum ante actarum fretus reversus, quoniam negotiis transmarinis feliciter transactis magnas opes sibi comparaverat, brevi omnium oculos in se convertit, ita ut gymnasiarchi munere functus architheorus ad ludos Isthmicos et Olympicos mitteretur. Cum vero etiam in senatu et in contione multum valere coepisset, inimici anno 399 actione ἀσεβείας instructa perniciem ei afferre conati sunt.

Ex Lysiae quae fertur orationis VI. § 30 comperimus Andocidem semel iam ante litem, in qua haec oratio habita est, per ἔνδειξιν reum factum esse; quae actio ad finem perducta esse non videtur, cum neque VI. orationis auctor in accusando neque Andocides ipse in defendendo quidquam de exitu illius litis dixerint.

Paulo post iterum per ἔνδειξιν ἀσεβείας eum in ius vocaverunt, quod templa adiisset mysteriisque interfuisset, quamquam

[3]) De Andocidis vita, quam novimus ex Andocidis ipsius orationibus, ex Lys. VI., ex Ps. Plut. X orat. vit., confer F. Blaß, Att. Ber. I^2 p. 284 sq. et J. H. Lipsium, l. l. p. VII sq., ubi testimonia allata sunt.

illo Isotimidis psephismate facto neque sublato honoribus civilibus esset privatus. Quod populiscitum et Patroclidis psephismate et legibus inde ab Euclide archonte valentibus irritum factum esse Andocides plane et perspicue demonstravit I 77 sq. et 87, qua oratione contra adversariorum crimen se defendit. Accusatores autem cum ipsi eventum rei dubium esse certe non ignorarent, priorum rei facinorum memoriam — dico Hermarum mutilationem et patris (si eis fidem habemus) sociorumque delationem — repetiverunt, quo facilius atque vehementius iudicum iram in reum instigarent. Attamen, quod volebant, assecuti non sunt; Andocidem enim absolutum esse inde perspicitur, quod primis saeculi IV. annis choro puerorum, quem exornaverat, Dionysiis victoriam reportavit (I. G. II 1, 533 = Dittenberger II 712), qua victoria parta tripodem dedicavit (Ps. Plut. X or. vit. 835 b), et paucis annis post in bello Corinthio quod dicitur munere legati functus ad Lacedaemonios missus est, ut de pacis condicionibus ageret (And. II).

Sed de Isotimidis illo psephismate compluribus verbis opus est disputemus, quia in dissertatione, quam nuperrime scripsit „de corpore iuris Atheniensium“ Bonnae 1913, J. Schreiner amicus sententiam protulit, quae mihi vix videtur probanda. Putat enim p. 93: „quamquam ipsum Isotimidis psephisma novo corpore iuris abrogatum erat, ideo ius eo psephismate conditum simul sublatum esse necesse non est, immo in novum corpus id receptum esse cum diserto silentio oratoris ceteroquin verbosissimi tum multo studio apparet quo § 92 sq. exemplo scilicet adversariorum suorum simul vero pro se ipso, oblivionem opponit iuri valenti“.

Equidem contra neque Isotimidis psephisma neque ius eo conditum inde ab Euclide archonte ratum fuisse his de causis existimo: primum quidem psephismatis ipsius verborum contextum J. Schreiner non satis respexit. Andocides illud breviter affert I 71: *ὁ μὲν γὰρ εἶπεν εἴργεσθαι τῶν ἱερῶν τοὺς ἀσεβήσαντας καὶ ὁμολογήσαντας,* atque falso addit: *ἐμοὶ δὲ τούτων οὐδέτερα πεποίηται,* nam in oratione de reditu habita se deliquisse ipse confessus est §§ 8, 25. Atque cum ceteros, quorum nomina delata erant, aut supplicio affectos esse aut fuga salutem petivisse sciamus ex Andoc. I 13. 15. 16. 34 neque confessos esse eos appareat ex Lys. VI 14: *ἔπειτα ἐκεῖνοι μὲν ἀρνοῦνται, οὗτος δ' ὁμολογεῖ ποιῆσαι,* illud psephisma non nisi de uno Andocide latum esse fere constat, quare iam melius intellegimus, cur Andocides I 87 hanc legem afferat: *Μηδὲ ἐπ' ἀνδρὶ νόμον ἐξεῖναι θεῖναι, ἐὰν μὴ τὸν αὐτὸν ἐπὶ πᾶσιν Ἀθηναίοις, ἐὰν μὴ ἑξακισχιλίοις δόξῃ κρύβδην ψηφιζομένοις.*

Tale psephisma, cuius rationem anno 403 permulti non iam satis perspexerunt, tum vi legis instructum esse a vero alienum videtur, praesertim cum in eos, qui religionis laesae convicti erant, sive confessi erant sive non, mortis supplicium iam olim lege constitutum esset; atque re vera anno 415 nonnullos, quibus ut aufugerent, non contigit, carnificis manu interiisse, ceteros absentes capitis damnatos esse narrat Andocides I 13. 15. 16. 34.

Accedit altera ratio: ex verbis ipsius accusatoris luce clarius est litis tempore neque Isotimidis psephisma neque legem inde ortam ratam fuisse. Paragrapho enim 9ª Ps. Lys. VI. accusator exclamat eo insolentiae processisse Andocidem, ut legem de se conditam irritam factam esse affirmaret, atque exspectas oratorem illud psephisma minime sublatum esse iudicibus ostenturum idque expressis verbis recitaturum esse. Sed hanc rem alto silentio mergens iudices monet, ut Periclis verborum meminerint: *καίτοι Περικλέα ποτέ φασι παραινέσαι ὑμῖν περὶ τῶν ἀσεβούντων, μὴ μόνον χρῆσθαι τοῖς γεγραμμένοις νόμοις περὶ αὐτῶν, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἀγράφοις, καθ' οὓς Εὐμολπίδαι ἐξηγοῦνται.* Unde concludere licet eum illud Andocidis argumentum gravissimum dissolvere non potuisse. Quibus de causis Schreineri iudicium parum stabilitum mihi videtur.

Sed iam ad orationem ipsam redeamus. Quam in lite anni 399 habitam aut, quasi esset habita, fictam esse adhuc omnes viri docti concesserunt; cui sententiae repugnat opinio, quam nuperrime Zacas l. l. protulit; negat enim orationem spectare eam litem, in qua Andocides de mysteriis quae dicitur orationem sui defendendi causa habuit, sed in actione anno 399 posteriore oratam eam esse vult. Ter enim Andocidem in ius esse vocatum Zacas cognovisse sibi videtur: primum illa *ἐνδείξει*, de qua nihil certi scimus, ut supra vidimus p. 10, deinde Cephisius eum accusavit Meleto Epichareque adiutoribus, contra quos se defendit Andocides oratione I. de mysteriis habita. Tertiam vero accusationem inter annos 399 et 392 actam atque in hac lite hanc orationem habitam esse a *κυρίῳ κατηγόρῳ* arbitratur; quem non fuisse Cephisium concludit ex § 42: *ἴσως οὖν καὶ Κηφισίου ἀντικατηγορήσει.* Habet vero orationem pro protologia, quam sententiam deprompsit e § 19: *ὁ δὲ θεὸς ὑπῆγεν αὐτόν, ἵνα . . . ἐπὶ τῇ ἐμῇ προφάσει δοίη δίκην,* utpote quae verba non nisi a primo accusatore proferri possent; quibus de verbis infra uberius agam p. 38; praeterea accusatori nomen esse Diocli putat, quia is qui loquitur § 54 avum suum Dioclem nominaverit.

Cum hac sententia pugnat id, quod Zutt prima disputationis parte p. 3 sq. luculenter demonstravit orationem Andocideam cum VI. Lysiaca aptissime nexam esse, id quod infra apparebit

(p. 27 sqq.). Parum vero credibile est accusatores, cum prima *ἔνδειξις* ad finem non pervenisset, altera secundum reum iudicata esset, tertium iisdem fere argumentis Andocidem accusavisse, quae ille iam refutaverat. Itaque veterem sententiam servandam esse mihi persuasum est, quae Lysiae orationem VI. litem anni a. Chr. n. 399 spectare statuit. Quod si verum est, simul opinio, quam Zacas de orationis natura et de oratoris nomine protulit, caduca fit. In lite enim anni 399 Cephisius protologiam habuit (And. I 33. 71. 92. 121), quem orationem VI. non habuisse elucet ex § 42 verbis, quae p. 12 descripsi; oratio igitur non est protologia. Oratori autem non fuit nomen Dioclis, cum Andocides ipse accusatores esse Cephisium, Meletum, Epicharem narraverit §§ 92 sqq.

His de lite, in qua acta esse videtur oratio, praemissis iam ad orationem ipsam transeam; ac prima quidem parte disputationis rationes colligam atque explicabo, quibus orationem a Lysia compositam esse existimare vetamur, altera de tempore, quo composita sit oratio, tertia parte, utrum in iudicio orata sit necne, quarta de persona actoris disseram.

I. Num Lysias huius orationis auctor sit.

Veterum de hac oratione sententiam nobis servavit Harpocratio, qui vocibus *καταπλήξ* et *φαρμακός* ex hac oratione allatis addidit *εἰ γνήσιος ὁ λόγος* (cf. p. 7), unde antiquos grammaticos num Lysias auctor esset dubitavisse apparet. Hoc iudicium aetate recentiore primus comprobavit D. Ruhnken (Opuscula p. 324), quia hac in oratione de Andocide quaedam essent prolata, quae nullo modo inter se cohaererent: in § 31 enim Andocidem „opes suas minuisse et inter delatores divisisse, contra in § 49 tam opulentum esse dici, ut rei publicae inopiam, si voluisset, sublevare potuisset". Quae offensio nulla est; nam praeterquam quod totum illud § ¹31ᵃᵉ enuntiatum: *καὶ τὸ μὲν σῶμα ἀεὶ ἐν δεσμοῖς ἔχει, ἡ δὲ οὐσία αὐτοῦ ἐλάττων ἐκ τῶν κινδύνων γίγνεται* per amplificationem rhetoricam dictum est, Andocides dives esse potuit, etiamsi partem divitiarum amiserat, quas ex negotiis transmarinis sibi comparaverat. Praeterea Ruhnken in ea re offendit, quod huius orationis auctor historiam Andocidis parum cognovisset, cum § 46 Andocidem nunquam militiam suscepisse narraret, Thucydides autem I 52 illum classi anno 432 Corcyraeis auxilio missae praefuisse memoriae proderet. Quod si verum esset, ex tali discrepantia orationem omnino a Lysiae aetate removendam esse eluceret; quod cum primus Sluiter apertis

verbis exposuerit, ut de aliis testimoniis a Sluitero ex ratione temporum petitis, ita de hoc argumento in altera commentationis parte disputabo.

Orationis naturam atque indolem contemplans haec attulit Sluiter p. 166 sq., ut hanc orationem a Lysia esse abiudicandam ostenderet: primum quidem desideravit in ea tenuitatem, ieiunitatem, „illam maximam gratiam simplicis atque inaffectati coloris“,[5]) denique omnes illas virtutes, quas antiqui in Lysiae dicendi genere laudabant. Ac revera in hoc opusculo haud pauca insunt, quae a Lysiae simplici dictione abhorrent. Cuius rei exempla, quae collegerunt Blaß p. 566 et Schneider p. 356, paulo infra enumerata invenies.

Contra aliud Sluiteri argumentum inde petitum, quod in hac oratione neque psephismatum Patroclidis Tisamenique neque legis *ἀμνηστείας* ulla mentio fit, iam Roegholt p. 6 recte exposuit talia et in parte, quae interiit, proferri potuisse, et vix temere „oratorem haec praeteriisse, sed omisisse, ut causae suae serviret; nam reum ex iis (scil. plebiscitis et ea lege) validissima argumenta petiisse, ut iudicibus persuaderet, ut ipsum absolverent“.

Si porro in ea re offendit Sluiter p. 167, quod testes non producuntur, hoc naturam orationis, quippe quae sit deuterologia, contemplanti minime mirum videtur.

Deinde F. Blaß p. 566 sq. contulit complures voces locutionesque ex hac oratione, quae a Lysiae dictione aborrent; sunt hae: *θανάτῳ τῷ ἀλγίστῳ* § 1, *ἀθῷος* § 4, *κομπάζειν* §§ 18 et 48, *δέῃ* § 20, *ἁλώμενος* § 30, *ἀθεωτέρους* § 32, *ποῖα ἁμαρτήματα ἀνακαλεσάμενος, ποῖα τροφεῖα ἀνταποδούς* § 49, *καταπλῆγες* § 50, *μὰ τὸν Δία* §§ 7, 32, 38.

Quibus addidit alia V. Schneider (Jbb. f. kl. Phil. XXVII Suppl. 1901 p. 356) sicut: *δεδιὼς τὰ πεποιημένα* § 19, quod Reiske (Or. Gr. V p. 214) recte ita explicavit: *δεδιὼς τὰ ἐπίχειρα τῶν ἐφ᾽ ἑαυτοῦ πεποιημένων*; Andocides „facta sua timere“ debuit, cum iis deorum iram in se convertisset; *λήθην ἔδωκεν* § 27, quae locutio singularis videtur esse;[6]) *ἀπήντα τοῖς ἱεροῖς* § 52 dictum pro *εἰς* vel *ἐπὶ τὰ ἱερά*, cuius constructionis permulta exempla enumeravit Stephanus s. v. I 2 col. 1175, unum tantum exemplum huius verbi cum dativo loci coniuncti attulit: Gen. 28, 11; *τοῖς τε νόμοις τοῖς πατρίοις καὶ Ἀνδοκίδῃ χρῆσθαι* § 8; alias locutiones a Schneidero tamquam Lysiae elocutioni repugnantes allatas, quae ad res sacras pertinent, p. 41 invenies, ubi de actoris origine ingenioque verba faciam. Porro metaphoras quasdam attulit

[5]) quam Lysiae tribuit Quint. inst. IX 4, 17.
[6]) sed cf. Ps. Isocr. I 8 *λήθην ἐμποιῆσαι τῶν πεπραγμένων*.

Schneider, quae audaciores videntur quam quas Lysias admittere solet [7]: ἀφικόμενος εἰς τὰ ἁμαρτήματα § 19, ἐν πολλῷ σάλῳ καὶ κινδύνῳ τὴν πόλιν γενομένην § 49, sed vix recte in his vocibus numerat φαρμακὸν ἀποπέμπειν; [8]) φαρμακοί enim fuerunt homines scelerati, qui antiquissimis temporibus pro civitate lustranda atque expianda ad avertendam deorum iram mactabantur; eos temporibus recentioribus Athenis quidem non iam necatos, sed e civitate eiectos esse ex hoc loco Lysiaco suo iure conclusit H. Usener (Si.-Ber. der Wiener Ac. phil.-hist. Cl. 137 III = Kl. Schriften IV, Leipzig 1913, p. 256 N. 131). Praeterea falso dixit Schneider cum puro sermone Lysiaco pugnare quae exstant in § 8 verba τοὺς νόμους ἐξαλειπτέον ἐστιν; similia enim saepius in Lysiae orationibus inveniuntur. cf. τοὺς μὲν κειμένους νόμους ἐξαλεῖψαι I 48, τοὺς μὲν ἐνέγραψεν, τοὺς δὲ ἐξήλειφεν XXX 2, τὰ μὲν ἐγγράφεις, τὰ δὲ ἐξαλείφεις (scil. ψηφίσματα) XXX 5, ita ut etiam verba § 3 ἐξαλειφθείη τὰ ἁμαρτήματα, in quibus idem Schneider offendit, a Lysiae usu dicendi abhorrere pro certo dici nequeat.

Equidem has quae in hac oratione sunt voces in ceteris Lysiae orationibus non inveni [9]):

ἄρτος § 1, ἀποδημία § 6, αἴκισμα § 26, ἀκρωτήρια § 26, αἰκίζω § 27, ἀβίωτος § 31, ἀνόσιος, ἀλύπως § 32, ἀντικατηγορέω § 42, ἀνταποδίδωμι § 49, ἁγνεύω, ἀνασείω § 51, ἀποδιοπομπέομαι § 52, ἀλιτήριος §§ 52, 53, διοχλέω § 6, δαιμόνιος § 32, δήπουθεν § 36, δόγμα § 43, ἐξείργω ἐκ § 16, ἐνδύω § 51; κατελεέω § 3, κακοπαθεῖν § 28, καθάπερ §§ 37 et 45, καταθάπτω § 47, καταράομαι § 51; λεχθέντα § 3; μάζα § 1; ξενόω § 48; ὄζειν § 1; πρᾳότης § 34, πρόσσχημα § 37, προτιμάω § 50; ῥόπτρον § 1; στολή § 50; τόπος § 28; περὶ ἐλάττονος τίθεσθαι § 45; φοινικίς § 51; χερνίπτομαι, χέρνιψ § 52.

Haec ἅπαξ λεγόμενα quae vocantur licet plurimis orationibus Lysiacis nobis non servatis haud magni momenti videantur in diiudicanda illa quaestione, utrum genuina sit oratio necne, praesertim cum in iis, quae attuli, non desint, quae in orationibus, quae perierunt, saepius dicta esse probabilitate non caret, sicut ἄρτος, ἀποδημία, δαιμόνιος, ὄζειν, πρᾳότης, vel quae iterum usurpandi occasio fortasse omnino non fuit, sicut ἀποδιοπομπέομαι,

---

[7]) Cf. F. Berbig, (Über das genus dicendi tenue des Redners Lysias, Progr. Cüstrin 1871), qui p. XIII voces a propria notione translatas collegit, quae in orationibus Lysiacis inveniuntur.

[8]) De verbi ἀποπέμπειν usu cf. R. Wuensch, Zur Geisterbannung im Altertum, (Festschrift zur Jahrhundertfeier der Universität zu Breslau hrsg. v. Th. Siebs, Beslau 1911, p. 17sq.).

[9]) Usus sum indice quem composuit D. H. Holmes, Bonnae 1895.

ἀλιτήριος, ῥόπτρον, φοινικίς, χέρνιψ, χερνίπτομαι. tamen multitudo horum *ἅπαξ λεγομένων* tanta est, ut vel eam ob causam fere vetemur hanc orationem pro genuina ducere.

Accedit vero eiusmodi argumentum, ut dubitari omnino nequeat, quin oratio sit spuria: complura enim verba, quibus orationis sextae auctor utitur, in ceteris orationibus Lysiacis non modo non inveniri, sed de industria non usurpari ostendere possumus.

Pro vocabulo *καθάπερ*, quod bis exstat in oratione VI., Lysias semper dicit *ὥσπερ*, pro *κακοπαθεῖν* § 28 dicit *κακῶς πάσχειν* XII 35, XIV 2, XVI 8, XX 32, XXX 30 alibi; in § 3 invenimus *λεχθέντα*, at Lysias neque participium neque aliam formam aoristi passivi *ἐλέχθην* usquam adhibet, sed *εἰρημένα* vel alia forma participii perfecti decies septies utitur. Pro voce *τόπος* orationes Lysiacae octies praebent *χώρα*, vicies bis *χωρίον*, pro *περὶ ἐλάττονος τίθεσθαι* Lysias dicit *περὶ ἐλάττονος ποιεῖσθαι* I 26, IX 16, X 11, XXXII 17 aut *περὶ ἐλάττονος ἡγεῖσθαι* II 71, quibus isdem verbis utitur in locutionibus similibus *περὶ οὐδενὸς ἡγεῖσθαι* VII 26, XII 7, *περὶ πολλοῦ ποιεῖσθαι* I 1, II 67, 75, 76, IV 8, VII 25, 26, XII 7, XXI 6, 25, XXIII 5, XXXII 2. Pro *οὐ δήπουθεν* § 36 invenis *οὐ δήπου* VII 26, *οὐ γὰρ δήπου* VII 23, X 8, XIII 18, 51, 87, XIV 36, XXIV 13, *οὐ γὰρ δή που* (sic Holmes, Thalheim semper scripsit *δήπου*) IV 15, (XI 4), XII 27, XXXI 28. Iam F. Nowack (Leipziger Studien XII 1899 p. 57) miram esse dixit suo iure verborum coniunctionem *ἀσεβεῖν περί* VI 4, 11, 17, XIV 42: „Lysias *ἀσεβεῖν* absolute dicit XXX 17: *ἀσεβῶ καταλύων τὰς θυσίας* et si quidem hoc licet conicere ex ea ratione, qua similibus verbis utitur, eum non *περί*, sed *εἰς* adpositurum fuisse probabile est. Similia autem verba sunt *ἐξαμαρτάνειν, ὑβρίζειν, παρανομεῖν*".

Clarissime apparet res contemplanti, qua ratione vox *ἕνεκα* in hac oratione sit usurpata; invenimus eam novies, atque vocabulum, quocum iungitur, praecedit septies: § 5 *ἕνεκα ταύτης τῆς ἑορτῆς*, § 39 *ἕνεκά γε τούτου . . . ἕνεκα ἑνὸς ἀνδρὸς . . . ἕνεκα ἡμῶν*, § 41 *ἕνεκα τῶν ἰδίων ἁμαρτημάτων . . . ἕνεκα τῶν δημοσίων συμφορῶν*, § 49 *ἕνεκα τῆς μετοικίας*, bis tantum sequitur: § 54 *τῶν ἀνθρώπων ἕνεκα, . . . τῶν δὲ θεῶν ἕνεκα.* Quodsi quaerimus, quomodo Lysias in genuinis orationibus hac praepositione uti soleat, eam bis antepositam videmus: IV 9 *ἕνεκα πόρνης ἀνθρώπου*, XXIV 2 *ἕνεκα χρημάτων*, postpositam autem quadragies septies.

Deinde huius accusationis auctor utitur verbo composito *κατειλῶ* § 1, Lysias autem semper adhibet verbum simplex (quinquies et tricies); in § 47 legimus *καταθάπτω*, simplex *θάπτω* in

corpore Lysiaco novies inveni.[1]) Suspicionem movent etiam verba, quibus duae praepositiones praefixae sunt: *ἀντικατηγορέω* § 42, *ἀνταποδίδωμι* § 49, cum Lysias ex bicompositis ea praetulisse videatur, quorum altera pars est praepositio *σύν*: *συναπιέναι* XIII 52, *συναπώλλυντο* XII 88, *συνδιαβάλλεσθαι* XII 93, *συνεισπεσόντες* III 15, *συνεξέδωκε* XIX 59, *συνεκπλεῖν* XIII 25, 26 bis, XXVII 58, *συνεξαμαρτεῖν* III 12, *συγκαταθαπτομένη* II 60, *συγκαταλύω* XXX 9, 15, 30, XVI 5, *συγκατελθεῖν* XIII 77, XXV 9, XXXI 9, 13. Rarius aliis praepositionibus geminatis utitur: *ἐπεξιέναι* X 2, 31, XXIII 14, XXVII 15, XXXI 18, fr. 8. (Index Lysiacus, quem composuit Holmes, hos locos non affert nisi XXVII 15; eos collectos inveni a Fr. Kirchner [Quaestionum Lysiacarum specimen, Progr. Demmin 1869 p. 1]), *περικαταρρέω* XXX 22, *προκαταγιγνώσκω* XIX 10, *προσαπόλλυσθαι* XII 64. At *ἀντί* praepositionem cum alia coniunctam non inveni.

Quae cum ita sint, stare non potest opinio Io. Franzii et C. Hudii, qui orationem a Lysia removendam esse negant, praesertim cum nimis infirmis argumentis nitantur. Io. Franz enim nullo testimonio allato haec profert p. 8: *οὔτε γὰρ ἡ λέξις παραλλάσσει τοῦ εἰωθότος, οὔτ' ἂν τὴν ἀρετήν τις τὴν Λυσίου ποθοίη ἄλλοθέν ποθεν ἐπιζητῶν.* Atque C. Hude orationem pro Lysiaca habet, cum omnes orationes dubias Lysiae tribuat, ut iam p. 9 dixi.

Quod vero G. Zutt p. 22 artificiose animo sibi finxit hanc orationem genuinam esse ita, ut ex protologia ab auctore quodam deuterologiae speciem imitato excerpta sit, de hac sententia copiosius disserendum mihi non est, cum iam a Webero plane refutata sit p. 37 sqq., sed unum Zuttii argumentum a Webero neglectum examinare satis habeo. G. Zutt, ut orationem, ex qua hanc excerptam esse censet, protologiam fuisse demonstraret, in oratione VI. nonnulla exstare contendit, quae non nisi in protologia apte dicerentur. Quod ut ostenderet, hoc argumento usus est p. 21: „Von allen *κατηγορίαι* (scil. der Klaeger) bringt der Redner nur eine (Lys. VI. 19), und von der sagt Andocides ausdrücklich I 139, sie sei von Cephisius vorgebracht". Quod argumentum quam leve sit, duos illos locos inspicienti facile apparet [Lys.] VI 19: *οὐ γὰρ ὡς δεδιὼς τὰ πεποιημένα, ἀλλ' ὡς θαρρῶν, ναυκληρίᾳ ἐπιθέμενος τὴν θάλατταν ἔπλει.*

And. I 139: *εἶτα οἱ μὲν θεοὶ ἐκ τοσούτων κινδύνων ἔσῳζόν*

---

[1]) Cum Lysias interdum praepositione *κατά* utatur, ut verbis simplicibus maiorem vim det, (dicit decies septies *αἰσχύνω*, semel *καταισχύνω* I 49, septies *δωροδοκεῖν*, semel *καταδωροδοκεῖν* XXVII 3), hoc argumentum non multum valet.

με, σφῶν δὲ αὐτῶν προὐστήσαντο τιμωρὸν γενέσθαι Κηφίσιον κ. τ. λ. Qua ratione ductus Zutt ex his verbis illa Lysiaca a Cephisio, non a Meleto vel Epichare proferri potuisse concluserit, non perspicio.

II. Quo tempore haec oratio sit conscripta.

Recte igitur Ruhnken et Sluiter et qui eos secuti sunt orationem VI. a Lysia abiudicandam esse censuerunt. Quod autem idem viri docti Batavi eam neque in iudicio oratam neque Lysiae aetate ortam esse, sed originem traxisse a rhetore aetatis posterioris, quem Sluiter Demetrii Phalerei temporibus, W. Schmid paulo ante Harpocrationem vixisse suspicatus est, in errorem incidisse videntur.

Atque gravissimo argumento illo utuntur Ruhnken et Sluiter, quod auctor saepius per ignorantiam erraverit et sibi ipse contradixerit, cuius rei Sluiter l. c. haec attulit exempla.

In § 11 scriptum invenimus: *Ἀνδοκίδης δὲ τοσοῦτον καταπεφρόνηκε τῶν θεῶν . . . ὥστε . . . προσεκαλέσατο δίκην ἀσεβείας πρὸς τὸν βασιλέα, καὶ ἔλαχεν Ἀνδοκίδης ⟨ὢν⟩ καὶ πεποιηκὼς ἃ οὗτος πεποίηκε περὶ τοὺς θεοὺς καὶ . . . φάσκων τὸν Ἄρχιππον* (sic Palmer, *Ἀρίστιππον* X) *ἀσεβεῖν περὶ τὸν Ἑρμῆν τὸν αὐτοῦ πατρῷον.* Qua in enuntiatione illud *αὐτοῦ* ad Andocidem solum referendum esse ratus ita fere argumentatus est Sluiter p. 170: Hermam, qui prope Andocidis ianuam erat, constat fuisse donarium tribus Aegeidos (And. I 62, Aeschin. I 125, Ps. Plut. X or. vit. 835 B). Haec statua anno 415 famam celebritatemque quandam nominis inde erat consecuta, quod ceteris Hermis truncatis sola fere integra manserat, atque ex illo tempore *Ἑρμῆς τοῦ Ἀνδοκίδου* appellari solebat (Aeschin. I 125, Ps. Plut. X or. vit. 835 B). Sed temporibus demum posterioribus, cum huius appellationis rationem non satis perspicerent, Hermam illum Andocidi *πατρῷον* fuisse i. e. ab Andocidis maioribus esse consecratum putabant homines. Quo posteriorum temporum errore captus auctor Ps. Lys. VI Andocidi crimini vertit, quod Archippum in ius vocaverit *φάσκων ἀσεβεῖν περὶ τὸν Ἑρμῆν τὸν αὐτοῦ* (scil. *Ἀνδοκίδου*) *πατρῷον.* Unde orationem VI. ortam esse aetate a Lysiae aevo satis remota patescit. Quod argumentum plane refutavit A. Kirchhoff (Hermes I 1866 p. 7 sqq.), qui illa verba quasi mucronem esse accusationis recte exposuit *αὐτοῦ* verbo ad Archippum relato; per acerrimum enim ludibrium dicere Archippum suum Hermam esse integrum, ceteros Andocidem eiusque sodales mutilavisse. Hoelscher vero p. 60 et Zutt p. 27 *Ἑρμῆν πατρῷον* non modo esse Hermam a

maioribus consecratum verum etiam ad patris domum stantem recte dixerunt; quare nihil interesse, utrum Andocidis an Archippi Hermam spectaret orator. Quam Kirchhoffii, Hoelscheri, Zuttii interpretationem probaverunt Weber p. 21 et Schneider p. 360.

Aliud indicium, ut auctorem huius orationis res Andocideas non satis cognovisse demonstrarent, Ruhnken l. c. et Sluiter p. 171 inde sibi comparaverunt, quod esset discrepantia inter § 46 Lysiacae VI. et locum Thucydideum I 51, 4. Illic enim oratorem affirmare Andocidem quamvis plus quadraginta annos natum nunquam stipendia meruisse, Thucydidem autem narrare Andocidem cum Glaucone classi praefuisse Corcyraeis anno 432 auxilio missae. „Taylorus contendit huius classis imperium frustra ad Andocidem referri, quem nullam unquam militiae partem attigisse dicat Lysias VI 48. Hic mihi non alia nisi haec parata est responsio: Andocidis historiam parum cognitam fuisse orationis auctori“ (Ruhnken p. 324). Cui loco Thucydideo fidem habendam non esse Hoelscher p. 62 et M. H. E. Meyer (Comm. III. de Andocidis quae vulgo fertur oratione contra Alcibiadem, Halle 1837, p. III sqq.) inde concluserunt, quod Andocides ipse, quotiescumque de suis in rem publicam meritis loqueretur, neque illud neque aliud imperium usquam memoraret. Exin cum illa memoria Thucydidea pugnant, quae Andocides ipse narrat II 7; nam si re vera in illa anni 432 expeditione munere *στρατηγοῦ* functus esset, anno 415 quinquaginta fere annos natus fuisset, ut vix dicere posset adulescentiae fervore ad Hermarum mutilationem adductum se esse, neque magis credibile est eum circa annum 407 sexagesimum fere annum agentem sibi nondum liberos esse natos dicturum fuisse. Omnes vero dubitationes sustulit inscriptio, quam invenis in I. G. I 179 (= Dittenberger, Syll. I 26): [*'Αθηναῖοι ἀνέλ*] *οσαν ἐς Κό*[*ρ*]*κ*[*υ*]*ραν τάδε … παρέδοσαν στρατεγοῖς ἐς Κόρ*[*κυραν τοῖς δευτέρ*]*οις ἐκπλέοσι Γλαύκονι* [*ἐκ Κεραμέον, Μεταγ*]*ένει Κοιλεῖ, Δρακοντί*[*δει Βατῆθεν*],[1]) unde liquet errore librarii apud Thucydidem scriptum esse *'Ανδοκίδης* pro *Δρακοντίδης*. Quem errorem iam a librario antiquo commissum esse docet Ps. Plutarchus (X or. vitae 834 c), qui hoc errore adductus annum natalem Andocidis falso computavit. Quem nostra aetate secuti sunt Clinton, F. H. p. 41, Becker p. 12. Cf. etiam Al. Falk p. 69, G. Zutt p. 28, L. P. Roegholt p. 8, W. Weber p. 15, V. Schneider p. 363.

---

[1]) *Βατῆθεν* demoticon supplevit Müller-Strübing, Aristophanes und die historische Kritik, Leipzig 1873 p. 600, Stahl vero Rh. M. 40, 1885 p. 439, quem secuti sunt Weber p. 15 et Schneider p. 363, *Θόραθεν* scribendum proposuit.

Neque aliud quod Sluiter attulit argumentum aptum est ad persuadendum. Dixit enim e stilo et genere dicendi intellegi orationem in schola exercitationis causa fictam esse: „auctor huius orationis omnia permiscet, ordinis nullam habet rationem; largus est verbis locisque communibus, sententiarum et argumentorum parcus, ut sophistae ornatum facile detegas“ (p. 168). Ac revera oratio parum diligenter composita est, nam de Andocidis vita facinoribusque agit orator §§ 6, 7, 11, 21—35, 51, eius argumenta refutat §§ 13 sqq., 35 sqq., de vindicta deorum disputat §§ 1 sq., 19. Sed haec quam in rebus disponendis invenimus confusio Sluiteri sententiae repugnare potius mihi videtur quam eam comprobare; nam a verisimilitudine alienum duco rhetorem, qui in schola eloquentiae artibus operam navaret, tantopere artis disponendi ignarum fuisse, ut res, de quibus agebat, tali tantaque cum neglegentia componeret, et, si fuisset, foetum suum celebratissimo oratori Attico supponere ausus vix esset.

Quod vero hanc orationem fortasse Demetrii Phalerei aetate compositam esse suspicatus est, Sluiter hanc opinionem nullo argumento confirmavit. Quod Sluiteri iudicium ut falsum esse ostenderet, L. Hoelscher (Quaest. Lysiacae p. 11 sq.) copiosius disputavit de Demetrii Phalerei genere dicendi imprimis Ciceronis testimonio usus[2]) (or. 92) „Demetrius enim excellebat in genere medio vel temperato. Huic omnia dicendi ornamenta conveniunt plurimumque est in hac orationis forma suavitatis. In qua multi floruerunt apud Graecos, sed Phalereus Demetrius meo iudicio praestitit ceteris, cuius oratio cum sedate placideque liquitur, tum inlustrant eam quasi stellae quaedam translata verba atque immutata“. Atque et illam Phalerei suavitatem et verba translata in hac oratione frustra quaeri Hoelscher recte dixit, sed, cum vir doctus Batavus non a Demetrio ipso, sed ab eius aequali quodam eam confictam esse censuit, hoc Hoelscheri argumentum Sluiteri sententia non refutatur, nisi forte assumimus, quod Cicero l. c. paulo infra dixit: „totum hoc (scil. genus dicendi) e sophistarum fontibus defluxit in forum“.[3])

Maiorem vim habet alterum Hoelscheri argumentum, quod repetivit Schneider p. 358 sqq.: Constat oratores qui fuerunt post Isocratem, omnes fere lege quae dicitur de hiatu sese astrinxisse,[4]) quam in hac oratione plane esse neglectam ostendit

---

[2]) De Demetrio Phalereo cf. Th. Herwig, De Demetrio Phalereo, Progr. Rinteln 1850; Chr. Ostermann, De Demetrii Phalerei vita, rebus gestis et scriptorum reliquiis, Progr. I. Hersfeld 1847, II. Fulda 1857.

[3]) cf. E. Norden, Die antike Kunstprosa I p. 127.

[4]) Blaß, Att. Ber. II² 1892 p. 140; Norden l. l. I p. 115.

Benseler (De hiatu in oratoribus Atticis et historicis Graecis, Fribergae 1841 p. 176).

Argumenta igitur, quibus Sluiter usus est, ut orationem VI. a Lysiae aetate esse removendam ostenderet, caduca sunt, contra ex multis indiciis apparet orationem ab Andocidis aequali confectam esse. Haud paucis enim dictis per totam orationem sparsis auctor tam accuratam notitiam prodit et rerum Andocidearum et quo tum res publica Atheniensium utebatur statu, quam neque ex Andocidis defensione neque, id quod W. Schmid (W. Christ, Gesch. der gr. Lit. I[6] 1912 p. 554 N. 8) putat, e Dionysii Halicarnassensis de Andocidis orationibus libello nobis non servato (cf. Dion. Hal. opuscula edd. Usener-Radermacher I 1899 p. 283) depromere potuerit.

Cladis, quam Athenienses ad Aegos flumen acceperant, memoria nondum exstincta est, nam ad eam significandam actor solam vocem *συμφορᾶς* usurpat § 46: *οὔτε πρὸ τῆς συμφορᾶς οὔτε μετὰ τὴν συμφοράν*, quae quid sibi vellet, posteriores non iam perspexissent; Lysiae autem temporibus hanc appellationem usitatam fuisse ostendunt praeter Lys. XII 43, XXXI 8, quos locos attulit Weber p. 14: XXI 9: *ὅτε γὰρ ἐν τῇ τελευταίᾳ ναυμαχίᾳ αἱ νῆες διεφθάρησαν . . . ἐπειδὴ καὶ τοῖς τριηράρχοις ὠργίσθητε διὰ τὴν γενομένην συμφοράν.*[5])

Porro voces *οἱ ἐν ἄστει* § 38, *οἱ ἐξ ἄστεως καὶ ἐκ Πειραιῶς* § 39, *οἱ ἐκ Πειραιῶς* § 38, *οἱ Ἐλευσινόθεν* § 45, nisi paulo post illud inter nobiles popularesque bellum civile anni 403 dictae essent, nemo fere intellexisset.

In § 44 legimus ceteros *μηνυτάς* quamvis impunitate decreta in aliis oppidis commorari malle quam sicut Andocidem Athenis civibus suis molestias afferre; quorum nominatur Batrachus quidam, homo nequissimus, quem triginta tyrannis dominantibus civium nomina falso detulisse commemorat Lysias XII 48. Atque ex Harpocratione (s. v. *Φηγούσιον*) Lysiam contra eum accusationem de nece patrata conscripsisse, ex Athenaeo VII 329 c (Kock, Com. Att. Fragmenta I p. 684 fr. 27) Archippum poetam comicum in fabula *ἰχθύες* inscripta eum irrisisse comperimus. Cuius hominis obscuri rhetorem aetatis satis remotae notitiam habuisse verisimile non esse Schneider p. 361 suo iure contendit.

Cum alio homine tum impietate insigni Andocides confertur in § 17: *τοσοῦτο δ' οὗτος Διαγόρου τοῦ Μηλίου ἀσεβέστερος γεγένηται.* Aristophanes (Av. 1073) memoriae prodidit Athenienses praemium unius talenti ei promisisse, qui illum interfecisset; ad quem

---

5) Loci vocabulo addito Lysias illud proelium navale commemorat XVI 4: *πρὸ τῆς ἐν Ἑλλησπόντῳ συμφορᾶς.*

locum scholiasta adnotat Diagoram, cum libro de mysteriis scripto in religionem deliquisset, Athenis expulsum esse: *Μελάνθιος δὲ ἐν τῷ περὶ μυστηρίων προφέρεται τῆς χαλκῆς στήλης ἀντίγραφον, ἐν ᾗ ἐξεκήρυξαν καὶ αὐτὸν καὶ τοὺς ⟨μὴ⟩ ἐκδιδόντας Πελλανεῖς, ἐν ᾗ γέγραπται καὶ ταῦτα· ἐὰν δέ τις ἀποκτείνῃ Διαγόραν τὸν Μήλιον, λαμβάνειν ἀργυρίου τάλαντον, ἐὰν δέ τις ζῶντα ἀγάγῃ, λαμβάνειν δύο.* Alio loco (Nub. 831) Aristophanes Socratem Melium appellavit, ut ei impietatem crimini daret.[6]) Cuius hominis nomen et facta etiam aetate posteriore ita omnium in memoria fuisse, ut rhetor tam breviter de illo commemorans verba sua ab omnibus intellectum iri putaret, vix crediderim. Quod autem Weber p. 12 auctorem illis § 17 verbis ad psephisma illud ab Aristophanis scholiasta allatum spectare arbitratus est, quod posteriores cognovisse verisimile non esset, nimis incertum est, quam ut hoc argumento nitamur. Qua vero ratione commotus Sluiter p. 168 „nihil rhetorem magis sapere atque declamatorem quam iniectam Diagorae Melii mentionem § 17, ubi Andocides diceretur *Διαγόρου τοῦ Μηλίου ἀσεβέστερος* hyperbolice adeo et per *αὔξησιν* sophisticam, ut, quod ei simile esset, in Lysiae orationibus non reperiretur", difficile est intellectu, nam cum uterque mysteria profanavisset, hos duos viros ab aequali in comparationem vocatos esse nullam movet admirationem.

Praeterea ad Sluiteri sententiam refutandam Weber p. 16 auctorem fortasse non dicturum fuisse contendit Andocidem numquam de re publica esse bene meritum *ὡς στρατηγὸν ἀγαθόν* § 46, quia illa aetate Athenienses non iam ipsos belli munera obiisse, sed militibus mercede conductis usos esse constat. Cui argumento haud magnum vel nullum pondus tribuendum videtur, quod tale quid rhetor quilibet posteriorum temporum facillime effingere poterat.

Wilamowitz quidem (Arist. u. Athen II 74 n. 5) orationem litis ipsius aetate conscriptam esse vel inde apparere censet, quod § 10 Periclis verba laudantur: *καίτοι Περικλέα ποτέ φασι παραινέσαι ὑμῖν περὶ τῶν ἀσεβούντων, μὴ μόνον χρῆσθαι τοῖς γεγραμμένοις νόμοις περὶ αὐτῶν, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἀγράφοις, καθ' οὓς Εὐμολπίδαι ἐξηγοῦνται.* Quae Periclis verba, quorum memoria inter Eumolpidas certe diu vigebat, optime dicuntur a sacerdote ex illa gente orto, sed ad rhetorem posteriorem ea pervenisse vix est credibile.[7])

---

[6]) De Diagora cf. Wilamowitz, Textgeschichte der griech. Lyriker, Berlin 1900, p. 80.

[7]) Quod documentum levius habere videtur Weber p. 23, cum dicat: „Tamen si quis existimat rhetorem posteriorem finxisse loquentem Eumolpidam, quod fieri posse nemo infitiabitur, solo hoc loco non multum lucramur".

Quod Wilamowitzii iudicium inde corroboratur, quod orationis VI. auctor permulta affert, quae quomodo in rhetoris posterioris notitiam venerint, vix intellegis, quia Andocides, cuius ex orationibus solis illa hauriri poterant, ea silentio praeteriit. Quod ut verum esse cognoscas, iam singula adeamus, quae de Andocidis vita ex oratione VI. comperimus.

Primum quidem actor enumerat regiones, quas Andocides Athenis aufugere coactus adiit: *ἔπειτα δὲ καὶ διώχληκε πόλεις πολλὰς ἐν τῇ ἀποδημίᾳ, Σικελίαν, Ἰταλίαν, Πελοπόννησον, Θετταλίαν, Ἑλλήσποντον, Ἰωνίαν, Κύπρον* § 6. Quarum terrarum Andocides ipse solam Cyprum nominat (I. 4. 132, II. 20),[8] ceterum generaliter agit de itineribus suis maritimis: deos etiam in barbarorum terris ex omnibus periculis semper ipsum servavisse (I §§ 137, 138), sibi hospitium amicitiamque esse multis cum regibus et civitatibus (§ 145), sed nusquam ullius oppidi nomen exhibet.

Pergit accusator § 7: *βασιλέας πολλοὺς κεκολάκευκε, ὧν ἂν ξυγγένηται, πλὴν τοῦ Συρακουσίου Διονυσίου . . ., ὃς μόνος τῶν συγγενομένων Ἀνδοκίδῃ οὐκ ἐξηπατήθη*, sed nihil explanat, quomodo Andocides Dionysium fallere frustra conatus sit, putare igitur videtur omnes, qui audiunt, illud scire, id quod facere non potuit nisi apud aequales; hanc historiolam num auctor posterior dignam duxerit, quam memoriae proderet, sane dubitare licet, rhetor autem, si eam reapse apud scriptorem aliquem legisset, certe eam copiosius atque accuratius exposuisset. Dionysii vero haec mentio optime quadrat in illorum temporum condicionem. Dionysius enim Syracusanorum tyrannidem occupavit anno 405,[9] Andocides autem, cum litis tempore triennium Athenis versatus esset (And. I 132), anno fere 402 domum rediit.

Porro Andocidem primo ad regulum quendam Citiensium[10] fugisse fimus certiores § 26, sed in vincula coniectum tormenta subisse neque multum afuisse, quin supplicio afficeretur. Ex quo periculo elapsum quadringentis illis dominantibus a. 411 patriam recuperare conatum eum esse, sed comprehensum aegre vitam servavisse et ad Euagoram Cypriorum regem confugisse. Quod in annum 411 optime quadrare putavit Schneider p. 361, cum eo fere anno Euagoram in regnum patris redisse ostendisset W. Judeich (Kleinasiatische Studien, Marburg 1892, p. 114, N. 2). Neque inspexisse videtur vir doctus locos a W. Judeich citatos;

---

[8]) Andocidem Cypri versatum esse praeterea commemorant Ps. Plut. X orat. vit. 834 E, Photius cod. 261, quem Ps.-Plutarchum secutum esse ostendit Vonach, Commentat. Aenipontanae, V 1910 p. 25, Tzetzes, Chil. VI 373.

[9]) cf. E. Meyer, Geschichte des Altertums V § 776 p. 78.

[10]) Quem non fuisse Euagoram recte dixit E. Meyer V § 840 A. p. 199.

quod si fecisset, illum (sicut alios, qui de hac re scripserunt: Engel, Kypros, Berlin 1841, I p. 291, Scharfe, De Euagorae Salaminiorum reguli vita ac rebus gestis, Diss., Monasterii 1866 p. 5 n. 2, qui haec dixit: „Quo fere tempore Euagoras rerum potitus sit, intellegitur ex oratione, quam Lysias contra Andocidem habuit". Swoboda in Pauly-Wiss. R.-E. VI 1, 821) hoc uno loco nixum esse vidisset; ceteri loci, quos Judeich attulit, And. I 4, II 11, Ps. Plut. X orat. vit. 834 E, Aristoph. Thesm. 446,[11]) Phot. cod. 261, ad tempus definiendum ansam non praebent, cum ne ex Aristophanicis quidem verbis, quibus Engel aliquantum ponderis tribuit: *Ἐμοὶ γὰρ ἀνὴρ ἀπέθανεν μὲν ἐν Κύπρῳ* quidquam certi enucleari possit. Hoc igitur Schneideri argumentum nullam vim habet.

§ 29 sqq. Andocidem paucis annis post iterum reversum prytanibus pecunia data persuasisse comperimus, ut sibi in contionem prodire permitterent, sed ut antea ab oligarchis ita tum a popularibus expulsum esse.

De vita quoque, quam post tertium reditum Athenis Andocides egerit,[12]) multa orator affert. Decem diebus nondum praeterlapsis[13]) eo insolentiae ac temeritatis eum processisse narrat § 11 sq., ut Archippum in ius vocaret de Herma laeso; quem, quamquam Hermam integrum esse iure iurando affirmavisset, tamen pecunia numerata accusatorem adducere maluisse, ut accusatione desisteret, ne sibi inimicitiae essent cum homine tam nefario. Paulo post Andocidem rem publicam capessivisse; iam in contiones et in senatum eum prodire, archontes quosdam statu movisse, quin etiam ipsum impiissimum consiliis interesse de sacris, pompis, oraculis (§ 33).

Aliud indicium ad tempus definiendum praebent fortasse verba §i 30ae: *δὶς ἐν τῷ αὐτῷ ἐνδέδειχται*, ubi ambigimus, utrum *ἐνιαυτῷ*, ut nunc plerique putant, an *χρόνῳ*, quod proposuit Dobree (l. l. p. 196), subaudiendum sit; sed in his verbis ex ambiguo dictis nihil offendimus, si ante iudices aequales ea facta esse putamus. At non liquet, quomodo haec res non digna memoratu, quam Andocides plane neglexit, in posterioris rhetoris sive historici notitiam venerit, cum haec lis omnino diiudicata non esse videatur, ut iam dixi p. 10.

Schneider (p. 362) vero etiam enucleare conatus est, quo consilio adversarii illam priorem *ἔνδειξιν* intendissent. Ando-

---

[11]) Hanc fabulam doctam esse anno 411 ostendit Wilamowitz (Arist. u. Athen II p. 343 sq.), cui assensus est W. Schmid (W. Christ, Gesch. der gr. Lit. I⁶ 1912 p. 428).

[12]) se tum e Cypro rediisse narrat And. I. 132.

[13]) Nota temporis spatium accurate prolatum.

cides I 132 se post architheoriam Olympicam, quo munere anno 400 functus est,[14]) se ad sacri aerarii quaesturam administrandam propositum esse narrat. Cum et ex titulis quibusdam I. G. II 2. 643, II 5. 645 b sciamus *φυλὴν Πανδιονίδα*, cuius Andocides fuit, illis annis alios delegisse (ol. 95. 1 : 400/399 *Ἀλκ]ίδημος Μυρρι-νούσιος*, ol. 95. 2 . . . *δωρος Οᾶθεν*) et Andocides ipse se litis tempore vix tres annos in urbe commoratum esse dicat I 132, eum illo munere functum non esse constat, neque iniuria Schneider suspicatus est adversarios per *ἔνδειξιν* accusantes eum illo honore deiecisse.

Sed non solum actor in accusatione multa profert, quae ex Andocidea cognoscere non potuit, cum in illa non insint, verum etiam haud pauca invenimus, quae cum Andocidis verbis discrepant.

Accusator criminatur Andocidem, quod de Hermis accusatus servum suum necavisset, ne de scelere indicium faceret § 22: *εὖ δ' ᾔδει οὐ δυνησόμενος παραδοῦναι* (scil. *ἀκόλουθον*), *ὃς διὰ τοῦτον καὶ τὰ τούτου ἁμαρτήματα ἀπέθανεν, ἵνα ⟨μὴ⟩ μηνυτὴς γένοιτο.* Longe autem alia sunt, quae Andocides memorat I 64: *τόν τε παῖδα τὸν ἐμὸν παρέδωκα βασανίσαι, ὅτι ἔκαμνον καὶ οὐδ' ἀνιστάμην ἐκ τῆς κλίνης.* Ubi de morbo illo se mentitum esse ipse convincit, cum in oratione de reditu habita se iuvenili fervore et auctoritate amicorum ad priora facinora deductum (II 7) et Menippo rogante impunitatem sibi decretam esse exponat, qua non indiguisset nisi culpam quandam contraxisset.[15])

Similis discrepatio quamvis minus perspicua est inter Ps.-Lysiacae VI § 23 et Andocideae I[ae] § 48. Hic narrat se nocte illa ipsa, cum deprehensus esset, a Charmide consobrino ceterisque cognatis imploratum esse, ut delatione patrem, affines, sese ipsum liberaret, atque ex verbis, quae sequuntur, eum non diu cunctatum esse apparere videtur; delatorem autem paulo post *μήνυσιν* factam revera e vinculis dimissum esse Thucydidis testimonio VI 60 discimus: *τὸν μὲν μηνυτὴν εὐθύς καὶ τοὺς ἄλλους μετ' αὐτοῦ ἔλυσαν.* Certe nullo modo credi potest rhetorem, qui ex Andocidis defensione hanc orationem effinxisset,[16]) dicturum fuisse § 23 *ἐδέδετο ἐγγὺς ἐνιαυτόν*, quod utrum vere an per amplificationem rhetoricam dictum sit, eo difficilius est diiudicatu, quod iam tum occultas illas res et quasi caligine obrutas neminem explanare potuisse et diversas coniecturas factas esse Thucydides

---

[14]) Blaß, Att. Ber. I 1887 p. 291 N. 3.

[15]) Discrepantiam inter has duas Andocidis orationes per se non magnam esse et satis explicari inde, quod diversis temporibus in diversis litibus essent habitae, iudicavit E. Meyer, Gesch. d. Alt. IV § 651 p. 505, 506.

[16]) Sluiter p. 168, 173.

memoriae prodidit VI 60,2: *ἐνταῦθα ἀναπείθεται εἷς τῶν δεδεμένων, ὅσπερ ἐδόκει αἰτιώτατος εἶναι, ὑπὸ τῶν ξυνδεσμωτῶν τινος εἴτε ἄρα καὶ τὰ ὄντα μηνῦσαι εἴτε καὶ οὔ. ἐπ᾽ ἀμφότερα γὰρ εἰκάζεται, τὸ δὲ σαφὲς οὐδεὶς οὔτε τότε οὔτε ὕστερον ἔχει εἰπεῖν περὶ τῶν δρασάντων τὸ ἔργον.* Quae verba, quamquam Thucydides reticuit nomen delatoris, utpote qui inter vivos esset, cum Thucydides haec scripsit, sine dubio ad Andocidem sunt referenda (cf. Thucyd. ed. E. F. Poppo III 2 Lipsiae 1880 p. 125).

Hoelscher (De vita et scriptis Lysiae p. 61) et Weber (p. 23) illud *ἐδέδετο ἐγγὺς ἐνιαυτόν* ita explicabant, ut reum duabus litibus implicitum fuisse probabile ducerent; quas accusatorem vel per errorem vel invidiose confudisse. G. vero Zutt (p. 25) initio quaestionis de Hermocopidis factae Andocidem comprehensum et totum per annum in custodia servatum esse putavit, cum profecto per tantum temporis spatium actionem illam productam esse scholia docerent ad Aristoph. av. 706, sed erravisse videtur vir doctus in loco laudando, cum neque ibi quidquam eiusmodi invenerim neque ad Lys. 1096, Av. 766, quos locos Duebner in indice Scholiis Aristophanicis addito s. v. *Ἑρμοκοπίδαι* attulit, scholiasta de hac re disputet. Sed quoquo modo res se habet, Ps.-Lysiam hic opinionem Andocideae contrariam perhibere certum est, quae ex rei defensione deprompta esse nequit.

Vidimus igitur neque genus dicendi huius orationis id esse, quo rhetores Demetrii aevo usos esse scimus, et auctorem, quaecumque ad Andocideae aetatis res attinent, tam accurate novisse, ut nusquam temporum ordinem perturbaret. Quae neque ex Andocidis orationibus neque ex historico sive grammatico quodam scriptore discere potuit auctor posterior, neque enim desunt tam minuta, quae historicum vel grammaticum memoriae prodidisse credibile non sit.

Quibus indiciis cogimur, ut orationem ab Andocidis aequali confectam esse censeamus; ac profecto omnes fere viri docti de hac re nunc consentiunt; eo magis miramur, quod W. Schmid l. c. eam non multo ante Harpocrationem conscriptam esse ratus etiam posteriori aetati tribuendam esse iudicavit quam arbitratus est Sluiter.

III. Utrum in iudicio habita sit oratio VI. necne.

Verum quamquam de huius orationis aetate plurimi viri docti conspirant, multum invicem disceptant, utrum in iudicio habita sit necne. J. enim Lipsius (Andoc. orat. ed. stereot. Lipsiae 1888 p. X praefationis n. 35) eumque secutus J. Bruns (Das

literarische Porträt der Griechen im V. und IV. Jahrh., Berlin 1896, p. 479 et p. 521 sqq.) eam invectivam paulo post litem ab adversario quodam invidiose conscriptam existimant, et ad hanc sententiam ii quoque accesserunt, qui ultimi huic quaestioni operam studiumque navaverunt eamque uberius tractaverunt, dico W. Weber (De Lysiae quae fertur contra Andocidem oratione, diss. Lipsiae 1900) et V. Schneider (Ps. Lysias *κατ' Ἀνδοκίδου ἀσεβείας* (VI) Jbb. f. kl. Phil. XXVII. Suppl. 1902 p. 352—372).

Quibus assentiri non possum, immo rationibus eorum pensatis eo adductus sum, ut orationem vere forensem esse mihi persuaserim.

Etenim si orationem ipsam in examen vocamus, vetamur fere sermone vivaci et agitato de accusatione ficta cogitare. Plurimae sunt allocutiones iudicum, quae in omni fere paragrapho inveniuntur, indignatione quadam inflammatus narrat accusator § 11 Andocidem quamvis ipsum nequissimum alios religionis laesae accusare non dubitavisse. Tota oratio spirat eloquentiam tam simplicem et naturalem, ut ab homine quamquam erudito tamen artis rhetoricae satis ignaro conscripta videatur. Cogitationes sententiasque non artificiose disponit sed, sicut ei in mentem venerunt, iuxta ponit; cuius rei exempla enumeravi p. 20. Accedit, quod is, qui loquitur, de se ipso nonnulla exponit, quae quid sibi velint in invectiva, vix intellego. Verba, quae legimus inde a § 54 *Βούλομαι τοίνυν εἰπεῖν, ἃ Διοκλῆς ὁ Ζακόρου τοῦ ἱεροφάντου, πάππος δὲ ἡμέτερος, συνεβούλευσε βουλευομένοις ὑμῖν κ. τ. λ.* nobilem virum ex Eumolpidarum gente ortum perspicue exhibent. Atque accusatorem Eumolpidam esse aut certe cum eis consuetudine usum esse inde quoque concludere licet, quod dicit § 2: *καὶ ταῦτα πολλοὶ ὑμῶν ἤκουον τοῦ ἱεροφάντου λέγοντος*, et cum eius proavum *ἱεροφάντην* fuisse sciamus ex § 54, hic de illo Zacoro dici improbabile non est. At cur auctor invectivae, quam esse hanc orationem contendunt, his verbis accuratissime significaret, quem verba facientem finxisset, nihil fuit, orationem enim pro vera accusatione duci eius non tam interesse poterat quam Andocidis famam auctoritatemque infringere.

Alia indicia, quibus summam vim tribuendam esse censeo, lucramur duabus his orationibus collatis; saepius enim Andocides manifesto ad verba orationis Ps. Lysiacae respicit. Quod non infitiabitur, quicumque opinione non praeiudicata legerit haec: *καὶ λόγους εἶπον ὡς πρότερον ἑτέρων ἁμαρτόντων καὶ ἀσεβησάντων περὶ τὼ θεώ, οἷα ἕκαστος αὐτῶν ἔπαθε καὶ ἐτιμωρήθη — τούτων οὖν ἐμοὶ τῶν λόγων ἢ τῶν ἔργων τί προσήκει*; (And. I 29) et Ps. Lysiae verba, quae initio orationis exstant: *ἔδησε τὸν ἵππον ἐκ τοῦ ῥόπτρου τοῦ ἱεροῦ . . . οὐκ ἐδύνατο ἐσθίειν* (§ 1); *Ἀδύνατον δὲ*

καὶ ἡμῖν ἔστιν . . . ἢ κατελεῆσαι ἢ καταχαρίσασθαι Ἀνδοκίδῃ, ἐπισταμένους ὅτι ἐναργῶς τὼ θεὼ τούτω τιμωρεῖτον τοὺς ἀδικοῦντας (§ 3). Quamquam enim prima pars huius narratiunculae, quam hierophantam saepius repetivisse concludere licet e verbis § 2: *καὶ ταῦτα πολλοὶ ἡμῶν ἤκουον τοῦ ἱεροφάντου λέγοντος,* simul cum toto exordio interiit, tamen perspicimus oratorem agere de homine quodam nefario, quem deae diro supplicio affecerint, ut facinora eius ulciscerentur. Atque illum locum Andocideum ad accusatoris verba respicere, non effictam esse hanc parabolam ex verbis Andocideis optimo iure G. Zutt (p. 6) affirmavit. Weber (p. 34) etiamsi non dubium esse concessit, quin his verbis quodammodo verba defensionis illustrarentur, inde orationem apud iudices habitam esse concludere non vult, nam „talia proferre in actionibus *ἀσεβείας* institutis ex delatorum consuetudine et usu fuisse perspicimus ex Lysia, cuius item exemplum praesto est apud Athenaeum XII 551 d sqq., quod usurpavit in oratione *ὑπὲρ Φανίου παρανόμων* habita," ubi item dei male perdidisse quosdam dicuntur, qui contumeliose in eos se gesserant. Neque tamen recte Weber illum locum attulit, cum Lysias ibi non fabulam narret de aliis a dis punitis, sed accusatorem Cinesiam[1]) propter facinora a dis morbo gravissimo et perniciosissimo affectum esse contendat his verbis: *τοῦτον δὲ τὸν ὑπὸ πλείστων γιγνωσκόμενον οἱ θεοὶ οὕτως διέθεσαν ὥστε τοὺς ἐχθροὺς βούλεσθαι αὐτὸν ζῆν μᾶλλον ἢ τεθνάναι παράδειγμα τοῖς ἄλλοις, ἵν' εἰδῶσιν, ὅτι τοῖς λίαν ὑβριστικῶς πρὸς τὰ θεῖα διακειμένοις οὐκ εἰς τοὺς παῖδας ἀποτίθενται τὰς τιμωρίας, ἀλλ' αὐτοὺς κακῶς ἀπολλύουσι κ.τ.λ.* (Athen. XII 552 a), deinde haec verba sunt defendentis, non accusantis, ita ut falso inde concluserit Weber talia proferre ex usu delatorum fuisse; denique si profecto Lysias illo loco vel alius orator alicubi similibus parabolis usus est, quid hoc contra Zuttii sententiam valet? Nam ut Lysiae ita huius quoque accusationis actori eiusmodi parabolam ad orationem illustrandam adnectere licuisse consentaneum est. Veri igitur est simillimum Andocidem § 29 verbis illam orationis VI. narrationem respicere.

In § 19 dicit orator deos quamvis a reo itineribus maritimis ad certamen quasi provocatos eum non perdidisse ea scilicet mente, ut in hoc iudicio poenam daret: *οὐ γὰρ ὡς δεδιὼς τὰ πεποιημένα, ἀλλ' ὡς θαρρῶν, ναυκληρίᾳ ἐπιθέμενος τὴν θάλατταν ἔπλει. ὁ δὲ θεὸς ὑπῆγεν αὐτόν, ἵνα ἀφικόμενος εἰς τὰ ἁμαρτήματα ἐπὶ τῇδε τῇ προφάσει (ἐπὶ τῇ ἐμῇ π.* codd.*) δοίη δίκην.* Ad id crimen Andocides respicit verbis, quae legimus § 137: *κατηγόρησαν δέ μου καὶ περὶ τῶν ναυκληριῶν καὶ περὶ τῆς ἐμπορίας, ὡς ἄρα*

[1]) eundem propter maciem irrisit Aristoph. Av. 1377.

οἱ θεοὶ διὰ τοῦτο με ἐκ τῶν κινδύνων σώσαιεν, ἵνα ἐλθὼν δεῦρο, ὡς ἔοικεν, ὑπὸ Κηφισίου ἀπολοίμην, quam criminationem in contrarium convertens pergit § 139 illa ipsa ex re, quod dei ex omnibus maris periculis se servaverint, innocentem se esse patere.

Praeterea hos utriusque orationis locos conferas quaeso, quamquam ad sententiam meam corroborandam minoris sunt momenti, cum et Andocidem his locis accusatoris verba in mente habere et rhetorem posteriorem verba or. VI. ex Andocidis defensione finxisse eodem iure contendi possit. Ps. Lys. VI 32: *τὸ δὲ τελευταῖον νυνὶ παραδέδωκεν αὑτὸν ὑμῖν χρῆσθαι ὅτι ἂν βούλησθε, οὐ τῷ μὴ ἀδικεῖν πιστεύων, ἀλλ' ὑπὸ δαιμονίου τινὸς ἀγόμενος ἀνάγκης*
cum And. I 2: *καὶ πρῶτα μὲν ἐνθυμηθῆναι* (scil. *ὑμῶν δέομαι*), *ὅτι νῦν ἐγὼ ἥκω οὐδεμιᾶς μοι ἀνάγκης οὔσης παραμεῖναι οὔτ' ἐγγυητὰς καταστήσας οὔθ' ὑπὸ δεσμῶν ἀναγκασθείς, πιστεύσας δὲ μάλιστα μὲν τῷ δικαίῳ κ. τ. λ.*

Ps. Lys. VI 35: *φησὶ γὰρ ἀγαθὰ μεγάλα ποιῆσαι τὴν πόλιν μηνύσας καὶ ἀπαλλάξας δέους καὶ ταραχῆς τῆς τότε*
cum And. I 59: *εἰπὼν δὲ τὰ ὄντα . . . τὴν πόλιν ἐκ φόβου καὶ κακῶν τῶν μεγίστων ἀπήλλαττον.*

Ps. Lys. VI 5: *καὶ τίνα γνώμην οἴεσθε ἕξειν τοὺς μύστας τοὺς ἀφικνουμένους . . . ἢ τοὺς ἄλλους Ἕλληνας, οἳ ἕνεκα ταύτης τῆς ἑορτῆς ⟨ἔρχονται⟩*
cum And. I 32: *ὥστ' ἐγὼ ὑμῖν πολλὺ μᾶλλον τῶν κατηγόρων πρὸς τοῖν θεοῖν ἐπισκήπτω, ὑπέρ τε τῶν ἱερῶν ἃ εἴδετε, καὶ ὑπὲρ τῶν Ἑλλήνων οἳ τῆς ἑορτῆς ἕνεκα ἔρχονται δεῦρο.*

G. Zutt p. 5 etiam hoc argumento usus est, quod Andocides verbis accusatoris § 10 adductus de *νόμοις ἀγράφοις* loqueretur §§ 85 sqq. Quod argumentum Weber p. 34 his verbis dissolvere conatus est „non spectare oratorem (scil. Andocidem) ad leges divinas a natura ipsa hominibus insitas, quas Eumolpidae interpretarentur, sed ad eam Atheniensium legem, qua constituissent, legem nullam vel decretum valere, quod non approbatum in lapidibus sive columnis exaratum esset. Ut fundamentum accusationis everteret, assidue leges et psephismata recitanda curare Andocidem et inde a § 85 quoque *περὶ ἀγράφων νόμων* loqui". Atque apud Andocidem voci *ἀγράφων νόμων* non eandem vim inesse quam apud oratorem Ps. Lys. VI. Weber recte dixit. Hic enim significat fas divinum, leges non scriptas, sed natas nobiscum (*οὓς οὐδείς πω κύριος ἐγένετο καθελεῖν οὐδὲ ἐτόλμησεν ἀντειπεῖν* confer etiam Xen. Mem. IV 4. 19. Demosth. XVIII 275, XXIII 70. Soph. Antig. 454, R. Hirzelii disputationem, quae inscribitur *Ἄγραφος νόμος*, Abhh. d. Sächs. Acad. d. Wiss. XX 1900 p. 21 sqq., 37 sqq., E. Norden, Agnostos Theos, Leipzig 1912 p. 11 N. 2), ille spectat et leges non rite publicatas, quas vult

Weber, ita ut sit vocabulum iuris consultorum scientiae sollemne (*ἀγράφῳ δὲ νόμῳ τὰς ἀρχὰς μὴ χρῆσθαι μηδὲ περὶ ἑνός* §§ 85, 86, 87) et simul quas accusator significavit, monet enim iudices sententiam eis ferendam esse non nisi secundum leges constitutas.[2])

Zuttii vero sententia ita quodammodo est probanda, ut Andocides, quamquam de *νόμῳ ἀγράφῳ* verba faciens §§ 85, 86, 87, 89 imprimis id agit, ut Isotimidis psephisma irritum esse ostendat, simul respiciat, quae accusator de *ἀγράφοις νόμοις* protulit; tamen huic argumento magnum pondus tribuere non licet.

Praeterea in oratione *κατ᾽ Ἀνδοκίδου* nonnulla inveniuntur, quae, si in invectiva dicta essent, admirationem moverent, ad veram autem accusationem optime conveniunt. Nam si sumimus inimicum quendam ex Andocidis defensione invectivam effinxisse, in ea parte, qua refutantur argumenta, quae reum pro se allaturum esse conicit fictus ille accusator, certe eorum rationem habere debuit, quae apud Andocidem exstant.

In § 13 sqq. vero invenimus reum ita se defensurum esse, ut dicat ipsum, qui delationem detulerit, quamvis impunitate decreta summis malis urgeri, eos, qui denuntiati olim aufugerint, omnibus civitatis honoribus uti, atque in § 43 haec sunt: *ἀλλὰ λέξει ὅτι μηνυτὴς ἐγένετο καὶ ἕτερος οὐδεὶς ἐθελήσει μηνύειν, ἐὰν κολάζητε,* neque quidquam eiusmodi Andocides ad se tuendum affert: ubicumque de delatione agit, iterum atque iterum se illud indicium fecisse confirmat, ut civitatem, patrem, propinquos, se ipsum e summo rerum discrimine servaret (§§ 51, 59, 67). Quare non habuit auctor invectivae, cur quae non dixit Andocidem dicturum esse pronuntiaret, praesertim cum ficta Andocidis verba ad invidiam in adversarium absolutum conflandam nihil valerent.

Neque minus a vero alienum duco post litem esse conscripta, quae in § 42 leguntur, ubi actor dicit Andocidem sane haud pauca crimina contra accusatores congesturum esse, at eis criminibus prolatis indices ne commoveantur, ut clementia utantur: *Ἴσως οὖν καὶ Κηφισίου ἀντικατηγορήσει καὶ ἕξει ὅ τι λέγῃ· τὰ γὰρ ἀληθῆ χρὴ λέγειν. ἀλλ᾽ ὑμεῖς οὐκ ἂν δύναισθε τῇ αὐτῇ ψήφῳ τόν τε ἀπολογούμενον καὶ τὸν κατηγοροῦντα κολάσαι. ἀλλὰ νῦν μὲν περὶ τούτου καιρός ἐστι γνῶναι τὰ δίκαια, ἕτερος δὲ ἥξει Κηφισίῳ καὶ ἡμῶν ἑκάστῳ, ὧν οὗτος νῦν μεμνήσεται.* Quibus ex verbis auctorem Andocidis defensionem nondum cognovisse, cum opus suum conficeret patescere puto; exspectat enim talia reum criminaturum esse, de quibus accusatores ipsi in indicium vocari possint. Talia

---

[2]) Ad quas reus iudicum animos iam initio orationis advertit § 2: *πιστεύσας . . . σώσειν* (scil. *ὑμᾶς ἐμὲ*) *δικαίως κατά τε τοὺς νόμους τοὺς ὑμετέρους καὶ τοὺς ὅρκους, οὓς ὑμεῖς ὀμόσαντες μέλλετε τὴν ψῆφον οἴσειν.*

autem in Andocidea non modo non insunt, sed contra ipse Andocides expressis verbis profitetur ab accusatoribus, quamquam foedissimis sceleribus se obstrinxerint, poenam sumere non licere, cum leges Euclide archonte latae de flagitiis antea commissis quemquam in ius rapi vetent.

Atque singula illa crimina intueamur. Cephisio quidem opprobrio dat §§ 92, 93, quod agri publici conducti reditus nonaginta minarum averterit et fuga salutem petiverit: *εἰ γὰρ ἦλθεν, ἐδέδετ' ἂν ἐν τῷ ξύλῳ*, tum autem omnibus civis honoribus uti illum, *ὅτι τοῖς νόμοις ἐψηφίσασθε ἀπ' Εὐκλείδου ἄρχοντος χρῆσθαι.* Paragrapho insequenti Meletum triginta tyrannis imperantibus Leontem quendam in carcerem deduxisse, et hunc indicta causa supplicio affectum esse Andocides narrat; liberis autem mortem patris ulcisci non licere, *ὅτι τοῖς νόμοις δεῖ χρῆσθαι ἀπ' Εὐκλείδου ἄρχοντος.* Epicharem vero, cum triginta tyrannis dominantibus senatui interfuisset, capitis poenam commeruisse ex lege, quae praeciperet: *ὃς ἂν ἄρξῃ ἐν τῇ πόλει δημοκρατίας καταλυθείσης, νηποινεὶ τεθνάναι, καὶ τὸν ἀποκτείναντα ὅσιον εἶναι καὶ τὰ χρήματα ἔχειν τοῦ ἀποθανόντος*, quam legem ipsam quoque irritam factam esse legibus inde ab Euclide archonte valentibus (§ 99).

Quae cum ita sint, difficile est credere quemquam dixisse actione finita: *ἕτερος* (scil. *καιρὸς γνῶναι τὰ δίκαια*) *δὲ ἥξει . . . ἡμῶν ἑκάστῳ*, at veri est simillimum illa § 42 verba in vera accusatione esse prolata.

Porro Weber (p. 28. 30) et Schneider (p. 368) orationem VI. in iudicio habitam non esse inde apparere censent, quod in ea Andocidi crimina quaedam obiciuntur, ad quae ille in defensione non respondet. Ad hoc argumentum convellendum haec reputes velim: Cum et accusator et reus adversarii orationem ante litem ignorarent, accusator omnia, quae reum pro se dicturum esse suspicabatur, indagare et, ut convelleret, studere debebat; porro, qui litem intenderant, ita rem suam fulcire conabantur, ut omnia rei malefacta in lucem protraherent, et quaecumque ille fecerat, augendo et in deterius trahendo ei exprobrarent, ut iudicum invidiam excitarent. Cf. And. II 5: *τὸ δ' ἰσχυρὸν τοῦτο μόνον εὕροι τις ἂν αὐτῶν ἐν τοῖς λόγοις τὰς ἐμὰς συμφορὰς ἐπὶ παντὶ ὀνειδίζειν.* Quodsi Weber et Schneider reum ad singula illa crimina respondere necesse esse putant, quod vero Andocides quaedam silentio praeterit, eum illas criminationes non audivisse concludunt, viri docti errare mihi videntur. Reo enim imprimis id agendum erat, ut caput accusationis confutaret, tum sua in rem publicam bene merita et quae excusari poterant, in clarissima luce poneret, ad adversariorum *διαβολάς*, quas quidem coniectando provideret, refutandas se pararet, in ipsa oratione, quas non exspectaverat,

si usui esse ei videbatur, reiceret. Eum non unumquodque opprobrium propulsare potuisse, vel ideo consentaneum est, quod omnia, quae hac in lite tres accusatores dixerant, memoria tenere vix potuit, accurate vero in illorum orationes inquirendi tempus ei non erat.[3] Aliam causam, quare omnes *ἔξω τοῦ πράγματος διαβολάς* refutare vix e re esset, Hyperides (*ὑπὲρ Λυκόφρονος* 9, *ὑπὲρ Εὐξενίππου* 31) eam esse dixit, quod ad singula *ἔξω τοῦ πράγματος κατηγορηθέντα* respondendo rei haud raro caput accusationis neglegebant et iudicibus ambages narrare videbantur.

His praemissis examinemus nunc singula crimina, quae Andocides silentio praeterit; sunt haec:

1. Andocidem a sacerdotibus esse devotum, 2. totum fere per annum eum in custodia servatum esse, 3. servo vitam ademisse, ne denuntiaret de mysteriis violatis, 4. patriae, cum in summo periculo versaretur, frumento apportando auxilium ferre ausum non esse, 5. Cypri et a Citiensium rege et ab Euagora in vincula coniectum esse.

Primum omnia haec opprobria ad rem ipsam nihil pertinere statuamus necesse est, deinde in flumine quasi orationis obiter dicta sunt, uno excepto, quod statim in examen vocabo. § 51 accusator uberius narrat Andocidem propter mysteria violata et Hermas praecisos sacerdotes exsecratos esse; quod crimen iam Sluitero verum non videbatur (p. 71), cum Andocides, „si devotus fuisset, in patriam redire non ausus fuisset, nisi prius publice foret revocatus, et sacerdotes iidem, qui eum devovissent, ante eum resacrassent". Accedit, quod impunitas, quae ei decreta erat, Andocidem ab exsecratione tuebatur. Quod crimen ab Alcibiade, quem devotum esse memoriae prodiderunt Plut. Alc. 32 33 et Nep. Alc. 4 et 6, in Andocidem translatum esse suspicatus est Sluiter (p. 71). Quae sententia sive vera est sive prava, deprehendimus hic falsam *διαβολήν*, quae unde orta sit satis explicatur genere et natura orationis, quippe quae sit accusatio, id quod etiam Schneider p. 364 dixit. Ad hanc criminationem cur responderet, Andocides non habuit, quia in hac I. oratione et

[3]) Haud ignoro interdum accidisse, ut reus orationem adversarii iam ante causae actionem sibi per dolum compararet. Cuius rei haec exempla inveni. Qui Lysiacam orationem VIII. habuit, amicis falsis crimini vertit § 11, quod sibi *λόγον* suum elicuerint, ut eum adversario proderent. Aeschines II § 165 in Demosthenem invehitur, quod *λόγον* ante litem prodiderit adversario eius, pro quo eum conscripsisset: *ἔγραψας λόγον Φορμίωνι τῷ τραπεζίτῃ χρήματα λαβών· τοῦτον ἐξήνεγκας Ἀπολλοδώρῳ τῷ περὶ τοῦ σώματος κρίνοντι Φορμίωνα.* Demosth. *πρὸς Νικόστρατον* (53) § 14: *ἔπειτ' ἀγώνων μοι συνεστηκότων πρὸς αὐτούς, τούς τε λόγους ἐκφέρει μου κ. τ. λ.* tamen talia sunt rarissima, ut minime exspectandum sit accusationem et defensionem accurate inter se concinere.

Hermas se mutilasse et mysteria evulgasse omnino negavit §§ 61 sqq., 10. Hoc igitur Weberi (p. 28) argumentum infirmius est, quam ut eius sententiam corroborare possit.

Magni momenti esse putat Schneider (p. 368) ad sententiam suam firmandam, quod Andocides non respondeat ad eam criminationem, quam accusator protulit in § 21, ubi dicit reum post Hermas truncatos totum fere per annum in custodia fuisse. „Sollen wir glauben“, exclamat Schneider, „daß ein Klaeger mit kuehner Stirn den Richtern dies Maerchen aufgetischt habe, das allerdings dazu angetan war, den Charakter des Angeklagten in einem sehr unguenstigen Lichte erscheinen zu lassen?“ Quid iudicandum mihi videatur de huius criminis veritate, exposui p. 26. Neque credere possum accusatorem illa ea mente protulisse, ut reo noceret; valde enim dubito, num ad id efficiendum valeant verba: *ἐκ δ' οὖν τούτου τοῦ τιμήματος ἐδέδετο ἐγγὺς ἐνιαυτόν*, sed bona fide in narrationem inserta esse videntur.

Quod de servo prodito diversa narrantur in duabus orationibus (And. I 64 et Ps. Lys. VI 22), recte mihi videtur iudicavisse E. Drerup. (Berl. phil. Woch. XXI 1901, 260) hanc rem nullius momenti esse neque, utrum vere an secus esset relata, diiudicari posse.

In § 48 Andocidi crimini datur, quod rei publicae nullo modo auxilio venerit *ἐπιστάμενος ἐν πολλῷ σάλῳ καὶ κινδύνῳ τὴν πόλιν γενομένην*, atque Weber (p. 30) fieri potuisse negat, quin Andocides inde ansam sibi compararet vetera sua merita memorandi, quae accurate exposuerit in oratione de reditu habita §§ 11 sq., 20 sq.; ego contra Andocidem habuisse arbitror, cur de meritis suis silentium teneret, his de causis: primum verba *ἐν πολλῷ σάλῳ καὶ κινδύνῳ τὴν πόλιν γενομένην* mea quidem sententia non id tempus spectant, quo Andocides iterum Athenas redire frustra conatus est, sed ultimos belli Peloponnesiaci menses, cum clade ad Aegos flumen accepta „Atheniensibus exhaustis praeter arma et naves nihil erat super“, ut Nepotis verbis utar (Alc. 8). Tum autem Andocidem civibus suis nihil auxilii tulisse propterea manifestum est, quod olim ei pro beneficiis gratias non egerant, quibus eo consilio eos affecerat, ut sibi redire permitterent. Quae spes eum fefellit. Deinde accusator illi crimini apte adnexuit aliud, quod Andocides nunquam stipendia meruisset. Quae criminatio cum vera esset, Andocides haud iniuria veritus est de aliis meritis dicendo illud crimen iudicibus in memoriam revocare.

Denique §§ 26 et 28 accusator, ut reum semper hominem nequissimum se praebuisse ostendat, eum Cypri quoque in flagitiis deprehensum et a Citiensium regulo et postea ab Euagora in vincula coniectum esse perhibet. Andocides quamquam ad illud

opprobrium aperte et plane non respondet, tamen id convicium quodammodo reicit et hospitium amicitiamque sibi esse cum permultis regibus civitatibusque et magna praedia Cypri se possidere professus §§ 4, 145.

Consulto vero Andocides non revocat audientes ad illa enuntiatis secundariis et obiter allata § 23 *ἐπειδὴ ἀπεκτονὼς ἦν, οὓς αὐτὸς ἔφη περὶ πλείστου ποιεῖσθαι* et § 43 *ἑτέρων διὰ ταῦτα ἀποθανόντων* (id quod offensioni est Webero p. 31), sed satis habet demonstrare eos, quos detulisset, fugisse et reversos bona civitatemque recuperasse (I 53), eos autem, qui ex Teucri delatione comprehensi et supplicio affecti essent, non suo vitio mortuos esse (I 59).

Alias praeterea suae sententiae confirmandae rationes Weber p. 28 sqq. inde petit, quod Andocides haud pauca crimina diserte propulset, quorum in Ps. Lysiaca nullum sit vestigium; quae argumentatio idcirco omni vi est destituta, quia Andocides non contra unum, sed contra tres accusatores se defendit, quorum quisque certe non eadem dixit, quae sodales in accusando iam protulerant vel prolaturi erant; neque neglegendum est duo vel tria folia orationis interiisse, quae nihil continere non poterant. Quodsi actor primarius praeter caput accusationis praecipue presserat illud gravissimum crimen patris delati, quod Andocides multis verbis studuit propulsare § 19 sqq., subscriptorem breviter dixisse *καὶ ἐμήνυσεν δεδεμένος κατὰ τῶν αὑτοῦ συγγενῶν* § 23 mirum non est; huic igitur Weberi (p. 29) argumento vis persuadendi tribui non potest. Praeterea quod Andocides §§ 110 sqq. plane exposuit, quae esset ratio illius virgulae supplicatoriae, quam ipsum in ara deposuisse adversarii contendissent, illam criminationem non ab huius orationis VI. actore, sed a Cephisio prolatam esse ad probabilitatem quandam adduci posse puto; nam senatui praesto esse iussum una secum Cephisium in Eleusinio fuisse, cum Callias prodiret, narrat Andocides §§ 111, 112; a Callia se tum accusatum esse, quod ramum supplicem deposuisset, sed extemplo illum ipsum id fecisse convictum esse. Cuius rei narrationem a Cephisio, utpote qui testis fuerit, prolatam esse veri est simillimum; quare non est, quod hanc rem ab huius accusationis oratore commemoratam non esse cum Webero (p. 29) et E. Drerup (Berl. phil. Woch. XXI 1901, 261) miremur.

Francken (p. 48) eumque secutus I. Bruns (p. 479) ex Andocideae I. §§is 19 et 110 illa duo crimina patris delati et virgulae depositae fuisse ipsius accusationis capita concludunt, statum igitur causae non eandem esse in oratione VI. atque in Andocidea, unde orationem VI. in iudicio habitam non esse manife-

stum sit.[4]) Quas non veras *κατηγορίας* esse, sed *διαβολὰς ἔξω τοῦ πράγματος κατηγορηθείσας* ex § 137 apparet, id quod recte dixerunt G. Zutt (p. 7) et W. Weber (p. 31).

Deinceps quod Bruns censet (p. 521), quam sententiam tamquam suam profert Weber (p. 44), optime nos intellegere, cur in invectiva neque de *ἱκετηρίᾳ* neque de patre denuntiato sermo fiat, quoniam utrumque crimen Andocides ita redarguerit, ut auctor libelli ea in invectiva repetere non auderet, hoc argumentum vi carere puto, quod Andocides eadem vel etiam maiore cura et indignatione illud crimen refutavit, §§ 50, 51, 53, 58, 59, 66, quod propinquos et necessarios denuntiavisse et necavisse dicebatur, nihilo vero minus dicit hic accusator § 24: *ἐπειδὴ δὲ ἀπεκτονὼς ἦν οὓς ἔφη περὶ πλείστου ποιεῖσθαι*, § 23: *καὶ ἐμήνυσε δεδεμένος κατὰ τῶν αὑτοῦ συγγενῶν καὶ φίλων.*

Exin argumentis nonnullis ex oratione ipsa depromptis sententiam suam fulciri putant Weber (p. 31) et Schneider (p. 367); non dici posse arbitrantur in vera accusatione, quae sunt in § 20: *ἐλπίζω μὲν οὖν αὐτὸν καὶ δώσειν δίκην, θαυμάσιον δὲ οὐδὲν ἄν μοι γένοιτο*, cum inde accusatorem de eventu litis desperare manifestum sit. Atque Blass quoque talia in vera accusatione pronuntiari non potuisse confessus ita difficultatem tollendam censet, ut illa verba post actam litem inserta esse putet. Quod mihi ideo parum probatur, quod haec verba aptissime conexa sunt cum eis, quae antecedunt: deus, inquit, Andocidem adduxit, ut hac in lite poenam daret, et quae sequuntur: *οὔτε γὰρ ὁ θεὸς παραχρῆμα κολάζει*, quibus adicit copiosa verba de sera numinis vindicta. Harum vero sententiarum e conexu illa verba *ἐλπίζω μὲν — γένοιτο* nullo modo removeri possunt. Itaque haec verba ita explicanda puto: Actor, qui est sacerdos ex illustri gente Eumolpidarum natus (qua de re infra p. 40 sq. uberius agam), praecipue id agit, ut Andocidem in summum deorum odium incidisse et post facinora anno 415 commissa vitam miserrimam egisse ostendat §§ 21—33. Quam narrationis partem praecedunt quasi exordii loco pauca generaliter de vindicta deorum prolata § 20 inde a verbis *οὔτε γὰρ ὁ θεὸς κτλ.* Atque ut transitum efficeret ad hoc enuntiatum, inseruit orator illa *ἐλπίζω . . . γένοιτο*; quae minime ita sunt explicanda, ut timeat orator, ne res sibi prospere non cedat, id quod liquet ex verbis § 34: *ἀλλ' ἅμα ἐξελεγχθήσεταί τε καὶ δώσει δίκην.* Multo vero minus is, qui sicut V. Schneider (p. 370) orationem a rhetore exercitationis causa

---

[4]) Tamen ita viri docti dissentiunt, ut Francken orationem rhetori posteriori tribuat, Bruns eam ab Andocidis adversario quodam conscriptam esse censeat.

fictam esse arbitratur. habet, cur in illis verbis offendat; nam si profecto a vera accusatione abhorrerent, nonne plus admirationis moverent in *μελέτῃ*, qua elaborata iuvenes artis rhetoricae studiosi discere debebant, quo modo ipsi accusationem instituerent?

Gravissimum argumentum, quo sententiam suam muniant, Sluiter (p. 173), Weber (p. 27), Schneider (p. 366) ex § 42 afferunt. Incredibile ducunt Cephisium actorem primarium a subscriptore tam invidiose proditum esse; invectivae autem auctorem illa eo consilio scripsisse, ut cum Cephisio, qui sane fama haud sincera erat, familiaritatem sibi non esse ostenderet, quamvis eius accusationem probaret atque adiuvaret. Neque Blassius, quamquam orationem forensem esse putat, illa verba in iudicio pronuntiari potuisse concedit (p. 570), sed lite finita ea orationi illata esse arbitratur. Qua ratione ductus hanc paragraphum in vera accusatione oratam esse putem, iam supra exposui p. 30 sqq. Neque video, cur in illis verbis offendamus, immo mihi persuasum est *συνήγορον* id unum egisse, ne iudices opprobriis, quibus rei accusatoribus veritatem fidemque abrogare solebant, commoverentur, ut Andocidis sceleribus indulgerent; illa crimina vera an falsa sint iudicandi postea tempus fore; ea vera esse, quae quidem ad ipsum Epicharemque pertineant, nullo modo concedit.[5])

Quod autem subscriptor verbis *ἴσως οὖν καὶ Κηφισίου ἀντικατηγορήσει, καὶ ἕξει ὅτι λέγῃ* addit *τὰ γὰρ ἀληθῆ χρὴ λέγειν*, haec primo obtutu satis inepte dicta esse videntur; tamen si reputamus eum §§ 16 et 50 criminationes quasi in iudices proferre non dubitare, veri non admodum dissimile est eum hic *κυρίῳ κατηγόρῳ* non pepercisse, quem ut hominem nequissimum vir nobilis prorsus contemnebat. Cephisium enim a nobilibus Andocidis adversariis commotum esse, ut illi actionem *ἀσεβείας* intenderet, scilicet quia ipsi causam periculosam agere non ausi sunt, apparet ex Andoc. I 121: *δοὺς Κηφισίῳ χιλίας δραχμὰς ἐνδείκνυσί με καὶ εἰς τὸν ἀγῶνα τοῦτον καθίστησιν* et 122: *ὡς εἰ ἔτι καὶ νῦν βουλοίμην ἀποστῆναι τῆς Ἐπιλύκου θυγατρός, ἕτοιμος εἴη παύσασθαί με κακῶς ποιῶν, ἀπαλλάξαι δὲ Κηφίσιον.* Ad hoc vile officium hominem integrum operam suam non accomodavisse consentaneum est.

Quam paragraphum in vera accusatione iam fuisse, praeterea ideo est verisimile, quod eiusmodi verbis accusatores se non nisi vera proferre iudicibus persuadere solitos esse docet Rhetor anonymus (Cornutus Graeveni) (Rhetores Graeci, ed. L. Spengel-

---

[5]) Similiter ad adversarii convicia delegat, qui Lysiae orationem 30am habuit, in § 7: *ἴσως δὲ . . . ἐμὲ διαβάλλειν πειράσεται, τότε δὲ περὶ τῶν ἐμῶν τούτῳ πιστεύειν ἀξιῶ ὑμᾶς, ὁπόταν ἀπολογίας ἐμοὶ δοθείσης μὴ δύνωμαι ψευδόμενον αὐτὸν ἐξελέγξαι.*

Hammer, Leipzig 1894 I p. 369). ut illi et gravioribus criminibus in reum allatis fidem haberent: *ποιεῖ δὲ πιθανότητα καὶ περὶ αὑτοῦ μὲν κακόν τι εἰπεῖν μικρόν, περὶ δὲ τοῦ ἀντιδίκου ἀγαθὸν ὁμολογούμενον, ὡς Αἰσχίνης· τούτῳ πατὴρ μὲν ἦν ἐλεύθερος ἀνὴρ Δημοσθένης, οὐ γὰρ δεῖ ψεύδεσθαι* (cf. Aeschinis III 171).

Atque Schneider (p. 366) offendit in vocabulo *νόμος*, quod ter (§§ 9, 29, 52) per errorem dictum esse pro *ψήφισμα* contendit. Quae verba cum verum accusatorem confundere posse neget, orationem rhetori tribuit. Sed mihi quidem talis error a rhetore, qui et voces iudiciales optime noverat, et, ne discipulos in errorem duceret, accuratissime eas eligere debebat, prorsus alienus videtur esse. immo consulto fortasse accusatorem uti nomine *νόμος* pro *ψήφισμα* putare licet, ut verba sua efficaciora reddat. Accedit, quod saeculi quinti scriptores interdum non accurate discernunt inter *νόμους* et *ψηφίσματα*,[6]) sicut Xenophon in Hell. I 7. 20 sqq. ad legem Cannoni significandam bis vocabulum *ψήφισμα* adhibet (§§ 20, 21), aliam in sacrilegos proditoresque legem *νόμον* vocat (§ 20), denique ad utramque spectans voce *νόμος* utitur (§ 23); atque in Aristoph. Av. 1038 *ψηφισματοπώλης νόμους νέους* sese vendere dicit.

Porro Weber (p. 32) verba §^{i} 50^{ae}: *ἀλλ' ἐστὲ γὰρ ὑπὸ τῶν τούτου ἁμαρτημάτων ἤδη καταπλῆγες διὰ τὸ πολλάκις ἰδεῖν καὶ ἀκοῦσαι, ὥστε οὐδὲ τὰ δεινὰ ἔτι δεινὰ δοκεῖ ὑμῖν εἶναι* et §^{i} 16^{ae}: *ὑμεῖς δὲ αὐτοὶ οἱ ἀδικηθέντες περὶ ἐλάττονος ποιεῖσθε τὰ παρ' ὑμῖν νόμιμα ἢ ἕτεροι τὰ ὑμέτερα* in accusatione coram iudicibus orata dici non potuisse censet, „quia talibus verbis accusatores sibi ipsos nocere invidiamque iudicum movere proclive sit coniectu". Sed iudicum ira num tam facile excitata sit, dubitare licet, praesertim cum §^{i} 50^{ae} certe verbis minus id spectet orator, ut iudices vituperet, quam ut Andocidis nequitiam depingat, §^{i} 16^{ae} autem verba audaciora ex natura atque indole oratoris ex Eumolpidarum gente orti optime intelleguntur.

Iam postremum argumentum adeamus eorum, qui orationem forensem esse negant. Dicunt enim Weber (p. 27) et Schneider (p. 365) orationem modo primariae, modo secundariae actionis speciem prae se ferre; nam ex § 42 verbis: *ἴσως οὖν καὶ Κηφισίου ἀντικατηγορήσει* Cephisium, qui *ἔνδειξιν* fecerit, huius orationis actorem non esse apparere; at quae in § 19 exstent: *ὁ θεὸς ὑπῆγεν αὐτὸν ἵνα . . . ἐπὶ τῇ ἐμῇ προφάσει δοίη δίκην* dici non

---

[6]) Cf. Frank B. Tarbell (The relation of *ψηφίσματα* to *νόμοι* at Athens in the fifth and fourth centuries B. C. The American Journal of Philology X 1889 p. 81 sq.). L. E. Loegdberg (Animadversiones de actione *παρανόμων*, Upsalae 1898 p. 51). I. Schreiner (De corpore iuris Atheniensium. Bonnae 1913 p. 16).

posse nisi a primo accusatore. Eiusmodi discrepantiam in invectiva vel in oratione ficta nihil offensionis habere. Quod ego incredibile duco. Num putare possumus eum, qui de hac re contorta et quasi inextricabili res ante quindecim annos factas perlucide exposuit, subito tanta memoriae infirmitate esse affectum, ut de re tam gravi in hunc mirum errorem laberetur? Parum credibile. Atque multo minus talis discrepantia in vera accusatione cogitari potest. Cephisium enim *ἔνδειξιν* detulisse et ex hac oratione discimus et ex Andocidea summa cum evidentia apparet. cf. §§ 33, 71, 111, 137, 139.

Codicum igitur lectionem ne tum quidem probarem, si cum Webero Schneideroque orationem pro invectiva post litem composita haberem, quia illa verba nequaquam ab actore secundario proferri possunt. Accedit, quod *ἐπὶ τῇ ἐμῇ προφάσει* ab auctorum Graecorum usu dicendi recedere videtur. Weber p. 33 ponit significationem „mea opera, me auctore",[7]) quam neque apud oratores Atticos neque alibi inveni, si fides est habenda Stephano, qui de hac voce subtiliter agit. Schneider vero (p. 365) haec verba optime intellegi affirmat interpretatione Dobrei adhibita, qui ita ea explicat (Adversaria critica, Berlin 1874, I p. 198): „*ἐπὶ προφάσει τῇ πρὸς ἐμὲ διαφορᾷ*, Angl.: an occasion", compluribus locis Lysiacis allatis: IX 13, 15; XII 6, XIII 12, XIV 1, XXIV 1 aliis, ubi *πρόφασις* significat causam sive veram sive fictam. Quorum locorum unum affert Schneider XIII 12: *ἐκείνῳ μὲν οὖν δικαστήριον παρασκευάσαντες καὶ εἰσελθόντες οἱ βουλόμενοι ὀλιγαρχίαν καταστήσασθαι ἀπέκτειναν ἐν τῇ προφάσει ταύτῃ*, ubi *πρόφασις* est „causa ficta" respectis verbis quae antecedunt: *οἱ δὲ . . . εἰς ἀγῶνα Κλεοφῶντα καθιστᾶσι, πρόφασιν μὲν ὅτι οὐκ ἦλθεν εἰς τὰ ὅπλα ἀναπαυσόμενος, τὸ δ' ἀληθὲς ὅτι κτλ.* Quare secundum Dobreum Schneiderumque illa accusatoris verba hunc fere in modum sunt interpretanda: spero eum poenam daturum esse ex occasione, quae mihi est maxime idonea. Quae verba quid sibi velint, sive ab actore primario sive a secundario dicuntur, mihi obscurum esse confiteor.

Quibus de causis ad Thalheimii sententiam accedo, qui locum corruptum esse ratus (B. ph. W. XIV 1894 col. 1063) proposuit *ἐπὶ τῇδε τῇ προφάσει*, i. e. hac ex causa, in hac occasione. Qua emendatione recepta nihil iam obstat, quin orationem Ps. Lys. VI. non esse invectivam vel *μελέτην*, sed deuterologiam re vera coram iudicibus oratam iudicemus, id quod hoc disputationis capite ostendere mihi proposueram.

---

[7]) similiter iam Reiske: „per occasionem mei, me litem adversus Andocidem instruente".

IV. Quis fuerit is, qui hanc orationem habuit.

Ex iis, quae adhuc commentatus sum, orationem VI., quamquam a Lysia est abiudicanda, tamen in lite anno 399 Andocidi intenta ab accusationis subscriptore habitam esse patescit. Atque iam quaeramus necesse est, a quo Ps. Lysiaca VI. sit orata. Non recte eam Calliae tribuisse Perrotum l. c. iam Lipsius dixit (l. c. p. X) ratus „de eo, si in iudicio verba fecisset, longe aliter Andocidem dicturum fuisse"; at multo gravius argumentum Schneider (p. 364) comparavit ex ipsius Andocidis verbis, qui dixit § 92: *σκέψασθε τοίνυν, ὦ ἄνδρες, καὶ τοὺς νόμους καὶ τοὺς κατηγόρους, τί αὐτοῖς ὑπάρχον ἑτέρων κατηγοροῦσι* et insequentibus paragraphis enumerat Cephisium, Meletum, Epicharem.

Quorum cum Cephisium primam actionem egisse ex iis, quae dixi p. 38, constet, aut Meletum aut Epicharem hanc orationem pronuntiavisse necesse est. Atque Epichari eam tribuit Bergk (Griech. Literaturgesch. IV Berlin 1887 p. 356), quia hanc orationem meris mendaciis et perfidis artibus contextam optime congruere putabat cum impudico illo sycophanta. „Die Rede des Lysias ist in der Tat ein Gewebe von Arglist und paßt durchaus für einen schamlosen Sycophanten." Quod de natura orationis iudicium quam stabilitum non sit, infra apparebit p. 40 sq.

Denique Meletum hanc deuterologiam protulisse iudicavit L. Hoelscher (Quaest. Lys. p. 12)[1]) quia crimen *ἑταιρείας*, quod Epicharem in se coniecisse Andocides narravit I 100, in hac oratione non inveniretur. Sed Dobree (Adversaria critica I p. 197) et Lipsius (l. c. p. X) hoc crimen intercidere potuisse in magna illa lacuna, quae est post § 49, recte monuerunt. Quare Roegholt (Ps. Lysiae oratio contra Andocidem, Groningae 1893 p. 10) quaestionem sub iudice restare censuit atque similiter iudicaverunt P. P. Dobree, F. Blaß (Att. Ber. I² p. 562), R. C. Jebb (The Attic orators, London 1876 p. 281), J. Toepffer (Att. Genealogie, Berlin 1889 p. 55). Ud. vero de Wilamowitz orationem a Meleto habitam esse ratus rationes huius opinionis adhuc non protulit. (Aristoteles und Athen II p. 74 N. 5: Der Ankläger des Andocides [Lys. 6, wie ich glaube und einmal zu zeigen hoffe, Meletos] . . .)[2]) Quod iudicium confirmatum iri puto, si, quae Andocides de subscriptoribus dixit, comparaverimus cum iis, quae ex oratione VI. de actore concludere licet.

---

[1]) Falkium (p. 68) et Hoelscherum (De vita et scriptis Lysiae p. 67) de vita stuprosa oratoris verba facientes (item iam Sluiter p. 173 senserat) vocem *ἑταιρείας* non recte intellexisse suo iure dixit Weber p. 9. Confer quae F. Blaß in Andoc. edit. ad § 100 de hac voce adnotavit.

[2]) cf. Textgesch. der gr. Lyr. p. 83, N. 2.

In § 51 orator avum suum esse Dioclem Zacori hierophantae filium dicit. Cum hierophantae dignitatem in gente Eumolpidarum hereditariam fuisse inter omnes constet (Hesych. s. v. *Εὐμολπίδαι· οὕτως οἱ ἀπὸ Εὐμόλπου ἐκαλοῦντο, τοῦ πρώτου ἱεροφαντήσαντος· πολλοὶ δὲ γεγόνασι ὁμώνυμοι Εὔμολποι.* Schol. Aeschin. III 18: *ἱεροφάνται μὲν τῆς Δήμητρος ἀπὸ Εὐμολπιδῶν, δᾳδοῦχοι δ' ἀπὸ Κηρύκων* cf. A. Mommsen, Feste der Stadt Athen, Leipzig 1898, p. 258, Töpffer, Att. Genealogie, Berlin 1889, p. 53), is qui verba facit se Eumolpidam esse his verbis aperte ostendit.

Ac revera totius orationis genus dicendi sacerdotem e nobili gente ortum redolet. Minime probat, quod populares triginta tyrannis expulsis omnibus exulibus, ut redirent, permiserunt § 13: *τοὺς μὲν οὖν ἄλλους οἱ ἐπιτάξαντες καταδέξασθαι ἀδικοῦσι ⟨καὶ⟩ τοῦ αὐτοῦ ἀσεβήματος αἴτιοί εἰσιν.* Quo sit animo, inde quoque apparet, quod Areopagum magnis effert laudibus § 14: *ἐν Ἀρείῳ πάγῳ τῷ σεμνοτάτῳ καὶ δικαιοτάτῳ δικαστηρίῳ,* quem semper nobilibus favisse nemo nescit. Atque eum sacerdotem esse unaquaeque fere paragraphus docet;[3]) nihil antiquius habet quam ut de religione verba faciat: deos, inquit, dirum supplicium sumere ab iis, qui in se deliquerint; proinde iudices ne clementia utantur in Andocidem, sed eadem severitate in impios animadvertant qua maiores (§§ 3, 10, 50); quo animo mystas ceterosque Graecos, qui ad Cereris mysteria venire soleant, laturos esse Andocidem liberatum atque provinciam *ἄρχοντος βασιλέως* nacturum! (§§ 4, 5), iudices ipsos Andocide absoluto deorum odium in se incensuros esse contendit (§ 53), iterum atque iterum urget Andocidis impietatem (§§ 11, 17, 19, 51), monet, ne quis felicitate respecta, qua reus uti videatur, ad vanam illam opinionem delabatur, ut deos non esse putet (§ 32); de §§ 1 et 20, quibus verba facit de vindicta deorum, iam supra dixi p. 27, 35 sq., praeterea conferas quaeso § 31: *ἃ τούτῳ ὁ θεὸς οὐκ ἐπὶ σωτηρίᾳ ἐπινοεῖν δίδωσιν, ἀλλὰ τιμωρούμενος τῶν γεγενημένων ἀσεβημάτων* et § 33: *Εἰς τοσοῦτον δὲ ἀναισχυντίας ἀφῖκται, ὥστε . . . καὶ συμβουλεύει εἰς τὴν βουλὴν εἰσιὼν περὶ θυσιῶν καὶ προσόδων καὶ εὐχῶν καὶ μαντειῶν. καίτοι τούτῳ πειθόμενοι ποίοις θεοῖς ἡγήσεσθε κεχαρισμένα ποιεῖν; μὴ γὰρ οἴεσθε, ὦ ἄνδρες δικασταί, εἰ ὑμεῖς βούλεσθε τὰ τούτῳ πεποιημένα ἐπιλαθέσθαι, καὶ τοὺς θεοὺς ἐπιλήσεσθαι.*

Quae omnia exhibent vivam imaginem viri strenui, qui pristinis patrum institutis et severo ingenio imbutus cum anxietate quadam atque summo cum maerore pristinam religionem et cultum Atheniensium in populo in dies magis evanescere atque novos mores, nova consilia, novas rationes pro vetustis proba-

[3]) Recte de Wilamowitz l. c. „er trieft von priesterlicher Salbung".

tissimisque opinionibus increbrescere sentit; hunc virum odium inexorabile suscepisse in Andocidem, qui Mysteriis profanatis, Hermis truncatis se vetustum deorum cultum nihili aestimare ostenderat, neque, ut hoc Andocidis odium expleret, cum viro abiecto, qualis fuit Cephisius, consilia communicare eumque accusationi subscribendo adiuvare dubitavisse minime est mirum; neque habemus, cur de sinceritate eius dubitemus, quamquam argumenta, quibus accusationem fulciat, interdum sine veritatis studio eligere videtur.

Porro aptissime conveniunt in sacerdotem hae sollemnes locutiones, quas orator cum ampla quadam sententiarum gravitate et maiestate verborum pronuntiat, et quas Schneider (p. 357) tamquam a simplici Lysiae usu dicendi alienas suo iure enumerat: § 4 *θυσίας θύσει*[4]) *καὶ εὐχὰς εὔξεται . . ., ὅπως ἂν μηδεὶς ἀδικῇ μηδὲ ἀσεβῇ περὶ τὰ ἱερά*, § 51 *τῶν δὲ θεῶν, οὓς ἡμεῖς νομίζομεν καὶ θεραπεύοντες καὶ ἁγνεύοντες θύομεν καὶ προσευχόμεθα*, § 53 *τὴν πόλιν καθαίρειν καὶ ἀποδιοπομπεῖσθαι καὶ φαρμακὸν ἀποπέμπειν καὶ ἀλιτηρίου ἀλλάττεσθαι*. Atque ad vocabulum *ἀλιτήριος*, quod in hac oratione semel invenimus (§ 53), quinquies apud Antiphontem (C. Wetzell, lexici Antiphontei specimen, Laubacher Programm, Grünberg 1889 s. v.) Cucuel haec adnotat (Essai sur la langue et le style de l'orateur Antiphon, Paris 1886 p. 23): „un certain nombre de mots techniques semblent appartenir à un usage sacré". Atque cum hac oratoris condicione concinit color quidam vetustus, quem et Blaß p. 570 (Das altertümlich Gesuchte) et Schneider p. 356 (Die fremdartige und archaische Darstellungsweise) in hac oratione esse recte senserunt.

Verum enim vero ad hanc sui imaginem, quam actor ipse oratione sua adumbravit, non quadrant, quae Andocides Epichari[5]) exprobrat, in quem acerbissimis conviciis invehitur §§ 99, 100. Neque enim verba: *ὃς ἐν δημοκρατίᾳ μὲν συκοφαντῶν ἔζης, ἐν ὀλιγαρχίᾳ δέ, ὡς μὴ ἀναγκασθείης τὰ χρήματα ἀποδοῦναι, ὅσα συκοφαντῶν ἔλαβες, ἐδούλευες τοῖς τριάκοντα* § 99 dici possunt de

---

[4]) sic ex Cobeti emendatione, *θυσιάσουσι* X.

[5]) Quem Epicharem eundem esse putant atque Epicharem Lamptreum, qui commemoratur Lys. XII. 55 Pape, Eigennamen s. v., H. Frohberger ad Lys. XII 55 (Ausgew. Reden des L. I Leipzig 1880[2]). Kirchner, Prosop. Att. I 4991; dubito, an non recte collato loco Andocideo *ἐδούλευες τοῖς τριάκοντα* cum hoc Lysiaco: *τοὺς μὲν τριάκοντα ἐξέβαλον πλὴν Φείδωνος καὶ Ἐρατοσθένους, ἄρχοντας δὲ τοὺς ἐκείνοις ἐχθίστους εἵλοντο* Lys. XII 54, inter quos etiam Epicharem; de his decem viris paulo infra legimus § 57: *λαβόντες γὰρ τὰς ἀρχὰς καὶ τὴν πόλιν ἀμφοτέροις ἐπολέμουν, τοῖς δὲ τριάκοντα . . . καὶ ὑμῖν.* Zutt p. 26 ad hunc Epicharem rettulit titulum I. G. II 2. 652, ubi Epichares *Εὐωνυμεύς* anno 398/7 *ταμίας τῶν ἱερῶν χρημάτων* fuisse dicitur, quam sententiam nullo argumento stabiliri posse recte dixit Roegholt p. 11.

viro nobili loco nato, qualis est huius orationis actor, qui certe semper nobilium partes est secutus, cum ne in hac lite quidem consilia a popularibus inita vituperare dubitet (§ 13), ut iam dixi p. 40.

Itaque cum Epichares orationem habuisse non videatur, restat, ut eam Meleto tribuamus. De Meleto accusatore Andocides haec profert § 94: *Μέλητος δ' αὖ οὑτοσὶ ἀπήγαγεν ἐπὶ τῶν τριάκοντα Λέοντα, ὡς ὑμεῖς ἅπαντες ἴστε, καὶ ἀπέθανεν ἐκεῖνος ἄκριτος.* Meletus igitur in triginta virorum mandata consiliaque patranda operam studiumque contulit; quod optime quadrat in Ps. Lysiacae VI. oratorem, quem fuisse Eumolpidam partes nobilium secutum et ex §§ 54, 13, 14 et ex totius orationis genere dicendi elucet, ut supra accuratius ostendi. Quare Meletum orationem Ps. Lys. VI. habuisse veri est simillimum.

Quo de viro ut aliquid enuclearem, insequenti parte disputationis omnia congerere conatus sum, quae antiqui auctores de huius nominis personis, qui quidem Athenis fuerunt saeculo quinto exeunte et quarto ineunte, posteris tradiderunt.

Ordiamur ab iis, quae Andocides ipse in oratione de mysteriis habita de Meletis quibusdam narrat. § 12 commemorat Meletum quendam, qui ab Andromacho denuntiatus patriam reliquit, ut mortem effugeret: *ἐπεὶ δὲ ἐψηφίσαντο αὐτῷ* (scil *Ἀνδρομάχῳ*) *τὴν ἄδειαν, ἔλεγεν ὅτι ἐν τῇ οἰκίᾳ τῇ Πουλυτίωνος γίγνοιτο μυστήρια· Ἀλκιβιάδην μὲν οὖν καὶ Νικιάδην καὶ Μέλητον, τούτους μὲν αὐτοὺς εἶναι τοὺς ποιοῦντας . . ., ὧν Πολύστρατος μὲν συνελήφθη καὶ ἀπέθανεν, οἱ δὲ ἄλλοι φεύγοντες ᾤχοντο, καὶ αὐτῶν θάνατον κατέγνωτε.*

Inter eos, quorum nomina Teucer detulit (§ 34) de mysteriis profanatis Hermisque laesis, nominantur Meletus et Euphiletus, ad quos viros in § 63 oratorem iterum spectare puto: *προσελθόντες δέ μοι τῇ ὑστεραίᾳ Μέλητος καὶ Εὐφίλητος ἔλεγον κ. τ. λ.*

Ab hoc Meleto (putant enim his quos attuli locis Andocideis de uno eodemque viro agi, qua de sententia iudicium non fero quamvis argumentis non fulcita) Andocidem impietatis reum ad populum factum esse arbitrantur I. G. Droysen (Mus. Rhen. 3. 1835 p. 190 vel Kleine Schriften II Leipzig 1894 p. 22 N. 9) P.W. Forchhammer (Die Athener und Socrates, Berlin 1837 p. 81) C. Fr. Hermann (De Socratis accusatoribus, Ind. schol. Gotting. 1854/55 p. 4) L. Hoelscher (Quaest. Lys. p. 9) I. Kirchner (Prosop. Att. II 9825) W. Goetz (Der Hermakopidenprozeß, Jbb. f. kl. Phil. Suppl. VIII 1875/76 p. 574 N. 1). Quae sententia prorsus reicienda mihi videtur, nam primum quidem Eumolpidam mysteriis violatis interfuisse non admodum verisimile est, deinde multo incredibilius est Andocidem commemoraturum non fuisse, si re vera eo insolentiae processisset adversarius, ut aliis id exprobraret, quod ipse fecisset.

Atque quaeramus, num Andocidis adversarius idem fuerit atque is Meletus, qui Socratem accusavit, id quod olim contenderunt, I. G. Droysen loco paulo supra citato et A. G. Becker (Andocides übersetzt und erläutert. Quedlinburg 1832 p. 28 n. 91). § 94 Andocides inimico crimini dat, quod a triginta viris missus Leontem, hominem innocentissimum ad supplicium duxit. De eadem re, quae tum omnium civium animos perturbavit. ex Xenoph. Hell. II 3. 39 haec comperimus in oratione, quam Xenophon Theramenem habentem facit in Critiam: *ἐπεὶ δέ γε οὗτοι ἤρξαντο ἄνδρας καλούς τε κἀγαθοὺς συλλαμβάνειν, ἐκ τούτου κἀγὼ ἠρξάμην τἀναντία τούτοις γιγνώσκειν. Ἤιδειν γὰρ ὅτι ἀποθνήσκοντος μὲν Λέοντος τοῦ Σαλαμινίου, ἀνδρὸς καὶ ὄντος καὶ δοκοῦντος ἱκανοῦ εἶναι, ἀδικοῦντος δ' οὐδὲ ἕν, οἱ ὅμοιοι τούτῳ φοβήσοιντο, φοβούμενοι δὲ ἐναντίοι τῇδε τῇ πολιτείᾳ ἔσοιντο.*[6])

Cum his locis conferamus, quae legimus apud Plat. Apol. 32 c; ubi Socrates narrat se a triginta viris cum quattuor aliis Atheniensibus Salamina missum esse, ut Leontem in iudicium duceret. atque iniuriam nemini afferre pluris se ducere quam mori tum inde apparuisse censet Socrates, quod solus illorum triginta virorum iussum detrectare esset ausus, quamquam fieri potuisset, ut capitis damnaretur, nisi illi brevi post eiecti essent.

Quo loco comparato cum Andocideis alium esse Meletum, qui Socratem accusavit, alium, qui Andocidi adversarius exstitit cum Forchhammero aliisque persuasum mihi est.[7]) Nullo enim modo credi potest Socratem vel Platonem non commemoraturum fuisse in illa Leontis comprehensione narranda, si Socratis accusator unus fuisset ex illis quattuor viris, qui Socrate uno denegante triginta tyrannis oboedientes Leontem comprehenderunt.

Atque alia accedunt, quae hoc argumentum ex silentio depromptum corroborant atque confirmant. In lite Socrati intenta Anytus una cum Meleto partes accusatoris implet, in hac vero actione, quae eodem anno[8]) de simili re habita est, reum contra Meletum defendit (Andoc. I 150). Quodsi Anytus in partibus

---

[6]) Hunc Leontem spectare videtur Thucyd. VIII. 73. 4: *οἱ δὲ αἰσθόμενοι τῶν τε στρατηγῶν Λέοντι καὶ Διομέδοντι (οὗτοι γὰρ οὐχ ἑκόντες διὰ τὸ τιμᾶσθαι ὑπὸ τοῦ δήμου ἔφερον τὴν ὀλιγαρχίαν) τὸ μέλλον σημαίνουσι.*

[7]) Forchhammer l. c. p. 81; Clinton F. H. p. XXXV, C. Fr. Hermann l. c. p. 4, L. Hoelscher, Quaest. Lys. p. 9, Kirchner, Prosop. Att. II 9825 et 9826.

[8]) Socrates capitis damnatus est Thargelione mense (Clinton F. H. p. 101) uno die postquam navis Delia ornata est (Plat. Phaedon 58 A), Andocidis lis acta est paulo post magna Mysteria (And. I 121), quae mense Boedromione habebantur. cf Clinton Append. XIX p. 345, A. Mommsen, Feste der Stadt Athen p. 204 et 244. Intersunt igitur inter has duas actiones quattuor fere menses.

popularium tum summa auctoritate utebatur,[9]) coniecturam facere licet, quaenam *κύριος κατήγορος* Meletus, quem Anytus Socratis accusationi subscribendo adiuvit, de re publica senserit, et haud iniuria Meletum Socratis accusatorem in popularibus duxeris; Andocidis autem adversarium optimatem fuisse supra dixi p. 40 sqq.

Ad hunc igitur Andocidis accusatorem e nobili gente Eumolpidarum ortum referenda videntur, quae sunt apud Xenoph. Hell. II 4. 36: *διὰ ταῦτα οὖν καὶ εἰς τὴν Λακεδαίμονα προθύμως ἔπεμπον* (scil. *ἔφοροι* qui erant cum Pausania) *τούς τ' ἐκ τοῦ Πειραιῶς ἔχοντας τὰς πρὸς Λακεδαιμονίους σπονδὰς καὶ τοὺς ἀπὸ τῶν ἐν ἄστει ἰδιώτας, Κηφισοφῶντα τε καὶ Μέλητον;* in urbe enim triginta viris expulsis decem viri rerum potiti erant, qui ut optimates erant, ita in rebus publicis moderatione et continentia utebantur. E. Meyer (V p. 43 N.) breviter suo iure adnotat ratione non apposita: „Der Unterhaendler aus der Stadt ist wohl der Anklaeger des Andocides, nicht aber der des Socrates". Atque R. C. Jebb. I 117 N. 2 dixit de Andocidis accusatore: „Meletos was a partisan of the thirty and is clearly identical with the Meletos, who went to Sparta as one of the Town Party in 403 to discuss the terms of peace between the town and Peiraieus". Sed non recte pergit: „All this agrees with what is known about the age of the Meletos who accused Socrates", quia accusator Socratis ab Andocidis adversario discernendus videtur, ut supra dixi p. 43. Deinde illo loco Xenophonteo de Meleto, qui Socratem accusavit, ne tum quidem esse cogitandum, si iniudicatum relinquimus, num illic de Andocidis inimico agatur, inde manifestum est, quod non dici potuerunt de viro anno 403 tam gravi munere functo quae sunt in Platonis Euthyphr. 2 b: *οὐδ' αὐτὸς πάνυ τι γιγνώσκω, ὦ Εὐθύφρον, τὸν ἄνδρα, νέος γάρ τί μοι φαίνεται καὶ ἀγνώς. ὀνομάζουσι μέντοι αὐτόν, ὡς ἐγῷμαι, Μέλητον.* Cum his Platonis verbis quodammodo congruunt, quae narrant scholiasta ad Plat. apol. 18 b: *ἔπεισε* (scil. *Ἄνυτος*) *μισθῷ Μέλητον ἀσεβείας γραφὴν δοῦναι κατὰ Σωκράτους,* Diogenes Laërtius II 38: *ἔπειτα καὶ Μέλητον συνέπεισεν* (scil. *Ἄνυτος*) *ἀπενέγκασθαι κατ' αὐτοῦ γραφὴν ἀσεβείας καὶ τῶν νέων διαφθορᾶς,* Libanius in Socr. apol. (decl. I) 29, quem de Meleto ad Socratem accusandum pecunia perducto eundem auctorem sequi atque scholiastam ad Plat. Eutyphr. 2 b nemo non videt: *πλάττειν αἰτίας καὶ συκοφαντεῖν ὑπέμεινε πριάμενος τὸν ἐπὶ δραχμῇ πάντα ἂν ποιήσαντα Μέλητον,* 33: *Μέλητον τουτονὶ γράψασθαι Σωκράτην ἀνέπεισε,* 144: *Μέλητος δὲ οὐκ ἐπιθυμεῖ τιμῆς, ἀλλ' αἱρεῖται μισθοῦ μᾶλλον συκοφαντεῖν ἢ τῶν χρηστῶν νομισθεὶς θαυμασθῆναι.*[10])

[9]) Isocr. XVIII. 23, Xenoph. hell. II. 3. 42 et 44.

[10]) Non respiciendum mihi est, quod Meletum paulo post Socratis mortem

quia iuvenes facilius corrumpi solent quam viri aetate iam provectiores.

Nihil proficimus in huius viri imagine exprimenda inde, quod breviter eum commemorant Plato, Theaet. 210 d, Xen. Mem. IV 4. 4, IV 8. 4, Apol. 11 et 19, Aristoteles, Rhet. III 18 p. 1419 a 9 posterioresque, qui persaepe Socratis accusatorum mentionem faciunt;[11]) magnum autem momentum habet locus Platonicus Apol. 23 e: *ἐκ τούτων καὶ Μέλητός μοι ἐπέθετο καὶ Ἄνυτος καὶ Λύκων, Μέλητος μὲν ὑπὲρ τῶν ποιητῶν ἀχθόμενος,* unde liquet Socratis adversario necessitudines amicitiasque fuisse cum poetis, immo ipsum poetam fuisse probabilitate minime caret. Qui si, quo tempore Socrates accusatus est, fuit aetatis non maturae atque ignotus, non idem fuit atque poeta tragicus, quem anno fere 423[12]) ab Aristophane in *Γεωργοῖς* irrisum esse scholiasta ad Plat. Apol. 18 b (Blaydes, Aristophanis fragm. p. 227, frg. 438; Kock I p. 420, frg. 114 et I p. 505, frg. 438) docet: *Τραγῳδίας φαῦλος ποιητής, Θρᾷξ γένος ὡς Ἀριστοφάνης Βατράχοις, Πελαργοῖς Λαΐου υἱὸν αὐτὸν λέγων, ἐπεὶ ᾧ ἔτει Πελαργοὶ ἐδιδάσκοντο καὶ ὁ Μέλητος Οἰδιπόδειαν καθῆκεν, ὡς Ἀριστοτέλης Διδασκαλίαις, ἐν δὲ Γεωργοῖς ὡς Καλλίαν περαίνοντος αὐτοῦ μέμνηται.* Qua re cogimur, ut illum poetam tragicum a Socratis accusatore discernendum esse putemus, quoniam hoc ille aetate provectior erat. Neque igitur est, quod ad Bergkii coniecturam Webero (p. 35 et 36) probatam confugiamus, qui ita argumentatur: „Meletus, qui extremis belli Peloponnesiaci annis tragoedias scripsit quique Socratis exstitit accusator, aetate minor profecto fuisse videtur quam Callias; itaque parum probabile est Aristophanem in

---

a populo capitis esse damnatum haud pauci scriptores recentiores contendunt, e. gr. Diodorus Sic. XIV 37. 6: *διόπερ τοὺς κατηγορήσαντας δι' ὀργῆς εἶχε καὶ τέλος ἀκρίτους ἀπέκτεινε* (scil. *ὁ δῆμος*), Diog. L. II 43: *Ἀθηναῖοι δ' εὐθὺς μετέγνωσαν . . . καὶ τοὺς μὲν ἐφυγάδευσαν, Μελήτου δὲ θάνατον κατέγνωσαν,* idem VI. 9, Themistius in or. XX (p. 293 Dind.), cum his de Atheniensium post Socratis mortem poenitentia narrationibus fides non sit habenda, id quod recte exposuit E. Meyer V § 852 p. 228.

[11]) E. gr. Epict. diss. I 29. 18 *ἐμὲ δ' Ἄνυτος καὶ Μέλητος ἀποκτεῖναι μὲν δύνανται, βλάψαι δ' οὔ,* quae eadem verba legimus in Epict. diss. II 2. 15. III 23, 21, man. 53, Plut. *περὶ εὐθυμίας* 17 (vol. III p. 236, 2 Bernardakis), *ἐκ τοῦ περὶ φιλίας* (vol. VII p. 114, 13), Max. Tyr. diss. XII 8 (H. Hobein), porro Meleti nomen exstat in Plut. Mor. vol. I p. 183, 19, III p. 296, 1, p. 499, 23, VI p. 301, 19 (Bernardakis), in Luciani Pisc. (XV Dindorf) 10, Bis accus. (XLVII) 6, in Max. Tyr. diss. III 2 et 3 (H. Hobein), apud Apsinem (Rhet. Gr. ed. Spengel-Hammer I p. 221, 10).

[12]) Quam fabulam anno 422 esse doctam indicat G. Kaibel, Pauly-Wiss. Real.-Encycl. II col. 978, 41, eam duobus annis ante datam esse censet Cappes, The date of Aristophanes Georgoi, American Journal of Philol. XXXII 1912 p. 420.

Agricolis ei opprobrio vertisse, quod Callia abuteretur; scribendum potius puto *ὡς Καλλίου περαίνοντος αὐτόν*" (Meineke, Fragm. poet. com. II 993 et 1127). Atque Kock I 420, quamquam lectionem traditam servat, haec adnotat: „Bergkius *ὡς Καλλίου περαίνοντος αὐτόν*, nam aetate minor fuit Callia".

Cum vero et Socratis accusatorem *ὑπὲρ τῶν ποιητῶν ἀχθόμενον* illam rem egisse sciamus et ex Diogene Laërtio II 40 (*Ἡ δ' ἀντωμοσία τῆς δίκης τοῦτον εἶχε τὸν τρόπον· ἀνάκειται γὰρ ἔτι καὶ νῦν, φησὶ Φαβωρῖνος, ἐν τῷ Μητρῴῳ· τάδε ἐγράψατο καὶ ἀντωμόσατο Μέλητος Μελήτου Πιτθεὺς Σωκράτει Σωφρονίσκου Ἀλωπεκῆθεν*) patri eius idem nomen fuisse comperiamus, nulla fere dubitatio est, quin accusator Socratis filius sit poetae tragici ab Aristophane in *Γεωργοῖς* ludibrio habiti. Atque ita interpretemur necesse est illud scholion, ut scholiasta ratione critica non adhibita omnia compilaverit et coniunxerit, quae de huius nominis viris invenerat.

Quod autem addit scholiasta Meletum fuisse Thracem *ὡς Ἀριστοφάνης Βατράχοις*, haec verba propterea movent suspicionem, quod tale quid neque in Ranis neque alias commemoratur, atque per errorem Blaydes (Aristoph. fragmenta p. 227) delegat ad versum 1309. Attamen Bergk scholiastae fidem esse habendam censuit (Meineke II 1126), quia Pitthenses faciles fuisse in admittendis peregrinis[15]) inde appareret, quod etiam Androclem servum recepissent, quem Pitthensem fuisse constat ex Aristotelis Rhet. II 23 p. 1400 a 10. Sed argumenta, quae Bergk attulit in „Epistula ad editorem", quam invenis in Andocidis editione a C. Schillero anno 1835 curata p. 118, ubi de illo Androcle copiosius disputat, firmo fundamento carere mihi videntur. Nam Androcles servus fuisse non nisi uno loco dicitur. Scholion scilicet ad Aristophanis Vesp. v. 1187 haec habet: *Ἀνδροκλέα δὲ Κρατῖνος Σεριφίοις φησὶ δοῦλον καὶ πτωχόν. ἐν δὲ ὥραις ἠταιρηκότα ἄρα* (*Ἀριστοφάνης* Bergk) *τὸν αὐτόν* (Blaydes Arist. frg. p. 294, frg. 569, Kock I p. 538, frg. 570). Ceteri loci, quos attulit Bergk, hi sunt: Hesych. s. v. *Διονυσοκουροπυρώνων* (col. 424 ed. M. Schmidt) laudat Cratini versum: *Αἰσχρῶν Ἀνδροκλέων, Διονυσοκουροπυρώνων.*

s. v. *ἀπ' αἰγείρων* (col. 178 eiusdem ed.) *Ἀνδροκλέα τὸν ἀπ' αἰγείρων· ἀντὶ τοῦ συκοφάντην. ἐπειδὴ ἐκ τῆς ἐν τῇ ἀγορᾷ αἰγείρου τὰ πινάκια ἐξῆπτον [τουτέστιν ἐξήρτων] οἱ ἔσχατοι.*

Bekker, Anecdota I 394. 21: *Ἀνδροκολωνοκλῆς· ἀντὶ τοῦ*

---

[15]) id quod Bergkium secuti repetiverunt Blaydes, Aristophanis fragmenta p. 228, Kock I p. 505, frg. 438.

ἠλίθιος. Κρατῖνος γὰρ Ὥραις ἀντὶ τοῦ φάναι ἠλίθιον Ἐτεοκλέα, οὕτως ὑφ' ἓν καὶ διὰ μιᾶς λέξεως ἔφη, διὰ τὸ εἶναι ἐκ Κολωνοῦ.

De hoc scholio Bergk ita disputat: „Jam vero in hac voce neque stultitiae neque Eteoclis ullum vestigium reperio; quae si labis est expers, potius referenda est ad hunc ipsum Androclem, quem Cratinus dixerit *Ἀνδροκολωνοκλῆ* non propterea, quod Colono pago oriundus fuerit, sed quod in Colono, qui vicinus erat foro Atheniensi, operam suam paupertate coactus mercede collocaverit: mercenarii enim ibi stabant, et ob id ipsum appellabantur *Κολωνῖται*" (cf. de illis mercenariis Harpocr. s. v. *Κολωνίτας*, Hesych. s. v. *ὄψ' ἦλθες ἀλλ' εἰς τὸν Κολωνὸν ἴεσο* [col. 1169], Photium sub eadem voce [Photii lexicon ed. S. A. Naber II p. 42]). Quodsi hanc Bergkii interpretationem rectam esse concedimus, neque ex hoc loco neque ex illis Hesychianis quidquam concludere licet nisi Androclem a poetis comicis irrisum esse tamquam virum humili loco natum et delatorem. Restat igitur locus Cratini in *Σεριφίοις*, ubi Androcles *δοῦλος καὶ πτωχός* dicitur. Quibus verbis ut a poeta comico dictis num fides sit habenda, incertum est; certe ex hoc testimonio Pitthenses omnino in peregrinis admittendis faciles fuisse demonstrari non potest.

Atque L. Hoelscher (Quaest. Lys. p. 12) Aristophanem, cum Meletum Thracem appellaret (*ὡς Ἀριστοφάνης Βατράχοις* in scholio Platonico quod p. 45 descripsi) fortasse originem gentis Eumolpidarum[14]) notavisse suspicatus est. Ad hanc opinionem perductus est, quia Eumolpidam illum, qui Andocidem in ius vocavit, patrem esse Socratis accusatoris putavit. Quam sententiam parum probabile esse infra exponam p. 50. Ceterum Eumolpidis, quod originem ducebant ex Thrace Eumolpo, non opprobrio, immo laudi fuit.

Cum in Aristophanis fabula, quam quidem nos servatam habemus, Meletum e Thracia oriundum fuisse ne uno quidem verbo commemoretur, F. G. Welcker (Griech. Tragoedien II p. 970 in Mus. Rhen. nov. Suppl. II 3 Bonn 1841) difficultatem ita tollere voluit, ut crimen illud, quod exprimitur verbis illis *Θρᾷξ γένος*, non in Ranis, sed in Pelargis exstitisse suspicaretur; sed quomodo illud *Βατράχοις* in textum irrepserit, plane obscurum est. Quomodo illa verba scholiastae *Θρᾷξ γένος ὡς Ἀριστοφάνης Βατράχοις* sint explicanda, frustra conatus sum enucleare; semel tantum Meletus comparatur cum *Θρᾳκοφοίταις* in fragmento Aristophanico servato ab Athenaeo XII 551 A, quod Blaydes 158um p. 79 inter Aristophanis fragmenta inseruit (Kock I p. 428

---

14) Etym. Magnum s. v. *Εὐμολπίδαι: γένος Ἀθήνησιν, ἀπὸ Εὐμόλπου τοῦ Θρᾳκός.*

frg. 149: *καὶ Ἀριστοφάνης δὲ ἐν Γηρυτάδῃ λεπτοὺς τούσδε καταλέγει, οὓς καὶ πρέσβεις ὑπὸ τῶν ποιητῶν φησιν εἰς Ἅιδου πέμπεσθαι πρὸς τοὺς ἐκεῖ ποιητάς, λέγων οὑτωσί· . . .*

. . . Α. εἰσὶ γάρ τινες
ἄνδρες παρ᾽ ὑμῖν ᾳδοφοῖται; Β. Νὴ Δία
μάλιστά γ᾽ ὥσπερ Θρᾳκοφοῖται· πάντ᾽ ἔχεις.
Α. Καὶ τίνες ἂν εἶεν; Β. πρῶτα μὲν Σαννυρίων
ἀπὸ τῶν τρυγῳδῶν, ἀπὸ δὲ τῶν τραγικῶν χορῶν
Μέλητος, ἀπὸ δὲ τῶν κυκλίων Κινησίας.[15])

Θρᾳκοφοίτης est vox comica, qua ei significabantur, qui legationibus Thracicis susceptis militiam subterfugiebant; cf. quae Blaydes ad Aristoph. Ach. v. 601 et 602 adnotavit p. 327. Num inter hanc fabulam et *Βατράχους* Aristophaneam, qua in fabula similiter de itinere ad inferos facto agitur, ratio quaedam intercesserit nobis non iam satis perspicienda, qua ductus scholiasta vel grammaticus, quem excerpsit, illa scripserit, dici vix potest.

Certe haec scholii verba sicuti L. Hoelschero (Quaest. Lys. p. 12) mihi quoque nimis dubia videntur, quam ut Meletum poetam tragicum origine peregrina fuisse inde coargui putemus; praesertim cum respiciamus, quam temere non modo poetae comici verum etiam oratores interdum eiusmodi convicia in adversarios coniecerint; velut Dinarchus I 15 Demostheni opprobrio dat, quod non sit Atheniensis sed Scytha, quia Demosthenis avia ex illa regione oriunda erat.[16]) Similia illi crimini dat Aeschines II 22 et 95; cf. schol. ad Aeschin. II 22 et 87; Demosth. XVIII (de corona) 129.

Quoniam utrumque Meletum, et patrem et filium, poetam fuisse statuimus, e re esse puto inquirere, utri vindicanda sint opera poetica, quae scholiastae commemorant. Atque Oedipodiam a Socratis accusatore esse compositam putavit F. G. Welcker p. 970, utpote qui, quaecumque de Meleto sunt tradita, ad illum unum rettulerit. Quae tragoedia quo anno acta sit quamquam prorsus ignoramus, cum etiam de Pelargorum tempore nihil adhuc a viris doctis enucleatum sit[17]) (schol. ad Platon. Apol. 18 B:

---

[15]) Hic subicio, quae tradiderunt Aelianus (Var. Hist. X 6) *ἐκωμῳδοῦντο εἰς λεπτότητα Σαννυρίων ὁ κωμῳδίας ποιητὴς καὶ Μέλητος ὁ τραγῳδίας ποιητὴς κ. τ. λ.*

Athenaeus XII 551 c (Kock I p. 792) *περὶ δὲ Μελήτου αὐτὸς ὁ Σαννυρίων ἐν Γέλωτι λέγει τοῦτο·*

Μέλητον τὸν ἀπὸ Ληναίου νεκρόν.

[16]) De Demosthenis origine cf. A. Schaefer, Demosthenes und seine Zeit, Leipzig 1885², p. 261, 268.

[17]) Caduca sunt argumenta, quibus adductus Kock I p. 505, frg. 438 Pelargos inter extremas Aristophanis comoedias esse referendam affirmat,

Πελαργοῖς Λαΐου υἱὸν αὐτὸν λέγων (scil. *Ἀριστοφάνης*) *ἐπεὶ ᾧ ἔτι Πελαργοὶ ἐδιδάσκοντο, καὶ ὁ Μέλητος Οἰδιπόδειαν καθῆκε ὡς Ἀριστοτέλης διδασκαλίαις*), tamen eo rem deduci posse arbitror, ut illam Welckeri sententiam veri dissimile esse cognoscas. Verba enim scholii Welcker, quem secuti sunt A. Meineke (Historia critica comicorum Graecorum, Berolini 1839 p. 173, idem, Fragmenta poet. com. II 1126) Kock, I p. 505, (Blaydes Aristophanis fragmenta p. 228, frg. 438) recte ita interpretatus est, ut illam vocem *Λαΐου υἱόν* non tam deprompta esse ex Oedipodia eodem anno acta, quam turpia Meleti vitia ea voce notari arbitraretur. Atque cum idem crimen in Meletum coniciatur in Georgis circa annum 423 datis, ut dixi p. 45, non admodum dubium est, quin his locis unus et idem Meletus ludibrio habeatur; unde Oedipodiam illam non a Socratis accusatore sed, ab illius patre compositam esse fit verisimile.

Quam conclusionem non everti arbitror verbis, quae Welcker attulit ex quarta decima epistularum quas vocant Socraticarum (Epistolographi Graeci, ed. R. Hercher, Parisiis 1873, p. 619, XIV 3 Aeschines Xenophonti): *οὗτος γὰρ* (scil. *Μέλητος*) *ὥσπερ ἐν τραγῳδίᾳ ὑπεκρίνετο Μενοικέα τὸν φιλόσοφον, ὡς ἡ πόλις ἀδικοῖτο ὑπὸ τούτων ἡ αὐτή*, quod illas epistulas aetate posteriore esse confictas abunde demonstravit R. Bentley in praeclarissima disputatione de Phalaridis epistulis anno 1697 scripta, quam nostram in linguam conversus est Wold. Ribbeck (Rich. Bentleys Abhandlungen über die Briefe des Phalaris, Themistocles usw., Deutsch von W. Ribbeck Leipzig 1857, ubi de Aeschinis epistula disputatur p. 544 sqq.); eas secundo post Chr. n. saeculo compositas esse iudicavit Guil. Obens, (Qua aetate Socratis et Socraticorum epistulae, quae vocantur, scriptae sint. Diss. Monasterii 1912). Ac si verum est mendacem illarum epistularum auctorem Meleti Oedipodiam spectavisse, qua de re Welcker non dubitat, ille sicut scholiasta non discrevit inter Meletum aetate superiorem eiusque filium.

Quod pertinet ad scolia et carmina amatoria, quae commemorant Aristophanes et Epicrates, certum iudicium ferri non potest. Loci sunt hi. Aristoph. Ran. 1301:

οὗτος δ' ἀπὸ πάντων μὲν φέρει, πορνιδίων
σκολίων Μελήτου, Καρικῶν αὐλημάτων
θρήνων, χορειῶν.

„cum in ultimis demum Aristophanis fabulis commemoretur et a Platone adulescens dicatur (scil. Meletus)"; nam Meletum iam in Agricolis anno fere 423 irrisum esse docet scholion p. 45 descriptum. Platonis vero verba hunc Meletum non attingunt, quia Socratis adversarius ab hoc poeta tragico maiore natu discernendus est, ut dixi p. 45.

(sic Blaydes. *μὲν φέρει πορνιδίων* libri.) Ad hos versus scholiasta adnotavit: *Μελήτου· προείρηται ὅτι τραγικὸς ποιητὴς ὁ Μέλητος. οὗτος δέ ἐστιν ὁ Σωκράτην γραψάμενος. κωμῳδεῖται δὲ ὡς ψυχρὸς ἐν τῇ ποιήσει καὶ ὡς πονηρὸς τὸν τρόπον* (Scholia graeca in Aristophanem ed. F. Duebner, Parisiis 1877 p. 309). Quo scholio usus est Suidas s. v. *Μέλητος· τραγῳδίας ποιητὴς ὑπόψυχρος. καὶ Ἀριστοφάνης·*

σκολιὰ Μελήτου, Καρικῶν αὐλημάτων

οὗτός ἐστιν ὁ Σωκράτην γραψάμενος. κωμῳδεῖται δὲ ὡς ψυχρὸς ἐν τῇ ποιήσει καὶ ὡς πονηρὸς τὸν τρόπον (Bernhardy II a col. 764). *Μέλητος· Λάρου* (scribendum esse *Λαΐου* ex scholio ad Plat. Apol. 18 b iam saepius laudato coniecit H. F. Clinton. F. H. Oxonii 1841[3] p. XXXVI) *Ἀθηναῖος, ῥήτωρ. οὗτος ἐγράψατο Σωκράτην μετὰ Ἀνύτου. πεποίηνται δὲ αὐτῷ καὶ τραγῳδίαι. κατελιθώθη δὲ ὑπὸ τῶν Ἀθηναίων* (Bernhardy ibid.). s. v. *σκολιὰ Μελήτου, Καρικῶν αὐλημάτων· ὁ Μέλητος οὗτος τραγικὸς ποιητής, ὁ Σωκράτην γραψάμενος* (Bernhardy II b col. 799).

Epicrates apud Athen. XIII 605 e (Meineke III p. 367 frg. 3. Kock II p. 284 frg. 4)

Ταρώτικ' ἐκμεμάθηκα ταῦτα παντελῶς
Σαπφοῦς, Μελήτου, Κλεομένους, Λαμυνθίου.

Kirchner haec quoque carmina patri Socratis adversarii tribuit II 9829; fortasse recte: nam Meletum, qui anno 406, quo ranae datae sunt, adeo omnibus notus fuit, ut Aristophanes eius scolia illuderet, hunc quidem Plato dicere vix potuit *νέον καὶ ἀγνῶτα* (Euthyphr. 2 b); attamen de hac re certum iudicium ferre dubito. Neque magis perspicimus, utri tribuenda sint carmina amatoria ab Epicrate laudata.

Quoniam occasione oblata uberius disputavi de Meleto poeta tragico, nunc quaestio exsistit, num hic Meletus, qui pater fuit Meleti, qui Socratem accusavit, fuerit Andocidis adversarius, id quod contendit L. Hoelscher (Quaest. Lys. p. 9). Quae sententia ideo improbabilis videtur, quod, si vera esset, non intellegeremus, cur Andocides ei in oratione sua crimini non daret delicta ab Aristophane in *Γεωργοῖς* irrisa, quamquam in tertium accusatorem Epicharem talia foedissima crimina coniecit § 100.

Quibus de causis arbitror Meleti, qui anno 399 Andocidem accusavit, in ceteris auctoribus non nisi apud Xenophontem in Hell. II 4, 36 mentionem fieri, ita ut illo tempore hos quinque Meletos discernere necessarium mihi videatur:

a) } duos Meletos ab Andocide nominatos I 12 et 34, de quibus
b) } aliunde nihil scimus.

c) Meletum, poetam tragicum, qui Oedipodiam composuit et

propter puerorum amores poetis comicis anno fere 423 ludibrio fuit.

d) huius filium Meletum, qui anno 399 Socratem in ius vocavit. Huic an patri eius vindicanda sint scolia et carmina amatoria, incertum.

e) Meletum sacerdotem ex Eumolpidarum gente ortum, qui anno 403 munere legationis functus quinto anno post Andocidem *ἀσεβείας* reum fecit.

Quae cum ita sint, posteriores saepius in errores incidisse et personas huius nominis illorum temporum confudisse mirum non est.

Quibus pauca addere liceat de illa quaestione, quis huius orationis auctor sit. Atque equidem Meletum eam et habuisse et conscripsisse puto, cum, ut supra dixi p. 40 sqq., totius orationis color et dictio sacerdotem oligarchumque redoleant; quod argumentum non multum ponderis habere facile concedo; neque fieri potuisse nego, ut logographus quidam mira sane cum ethopoeia eam pro Meleto conscriberet. Sed reiicienda est Th. Bergkii sententia, qui iis, quae apud Suidam s. v. *Θεόδωρος* sunt: *ἔγραψε κατὰ Θρασυβούλου, κατὰ Ἀνδοκίδου καὶ ἄλλα τινά* (Bernhardy I b 1137) adductus est, ut hanc orationem Theodori Byzantii esse arbitraretur (IV p. 356) Quam opinionem veram esse evincere studuit E. Drerup. (Jbb. f. kl. Phil. XXVII suppl. 337 sqq.), sed eam stare non posse E. Drerup ipsum ostendisse puto. Concessit enim vir doctus orationem certa atque aperta dispositione mirum in modum carere, Theodorum autem illum subtili et accuratae dispositioni diligentissime operam dedisse omnes auctores antiqui affirmant, qui quidem eius mentionem faciunt (E. Drerup l. c. p. 334):

Plato (in Phaedr. 266 d sqq.) eum in oratione non solum *προοίμιον* et *διήγησιν* cum *μαρτυρίαις, τεκμήρια* et *εἰκότα* discrevisse memoriae prodidit, verum etiam in argumentis *πιστώσει* et *ἐπιπιστώσει, ἐλέγχῳ* et *ἐπεξελέγχῳ* usum esse et in defensione et in accusatione, quare eum *τὸν βέλτιστον λογοδαίδαλον Βυζάντιον* appellat. (cf. Cic. Brut. 39: „Theodorum inde Byzantium multosque alios, quos *λογοδαιδάλους* appellat in Phaedro Socrates).

Atque idem docent Aristoteles in Rhet. III 13. 1414b 13: *ἔσται οὖν, ἄν τις τὰ τοιαῦτα διαιρῇ, ὅπερ ἐποίουν οἱ περὶ Θεόδωρον, διήγησις ἕτερον καὶ ἐπιδιήγησις καὶ προδιήγησις καὶ ἔλεγχος καὶ ἐπεξέλεγχος*, et Cicero, Brut. 48: nam Lysiam profiteri solitum artem dicendi, deinde, quod Theodorus esset in arte subtilior . . .

Quos locos inspicienti perspicuum esse censeo hanc, quam

[15]) quae probabilis visa est L. P. Roegholt p. 12 et V. Schneider p. 372.

Meletus habuit, orationem a Theodoro non esse compositam. Si reapse unquam in corpore orationum Theodorearum inerat, sicut Lysiae ita Byzantio illi oratori falso adscripta erat.

Ad finem disputationis cum pervenerimus, quasi in uno conspectu ponamus, quae de hac oratione statuenda esse putemus: Oratio, quae sexta inter Lysiacas fertur, quamquam a Lysia conscripta non est, litis tempore orta et in iudicio a primo subscriptore habita est. Oravit eam Meletus sacerdos e gente Eumolpidarum ortus et anno 403 munere legationis functus, qui a Meleto, qui Socratem accusavit, eiusque patre est discernendus.

Typis expressit Robertus Noske Bornensis.

Vita.

Natus sum Georgius Begodt a. d. IV idus Decembres a. 1887 in oppidulo Belgico quod vocant Nazareth patre Adolfo, matre Margaretha e gente Steinbach. Fidem profiteor catholicam. Primis litterarum elementis imbutus Augustae Treverorum anno 1899 receptus sum in gymnasium Friderico-Guilelmium. Anno 1907 in numerum Borussorum civium ascitus anno insequenti maturitatis testimonium adeptus sum et, postquam octo fere menses in argentaria sum versatus, vere anni 1909 Bonnam me contuli studiis philologicis operam daturus; bis sex mensibus post civibus almae matris Berolinensis adscriptus sum, unde post ter sex menses Monasterium veni, ut studia ad finem perducerem. Docuerunt me viri clarissimi: Brinkmann, Dyroff, Funaioli, Gaufinez, Heiß, Loeschke (nunc Berolinensis), Marx, de Meß (nunc Tubingensis), Nissen †, Wentscher Bonnae; Diels, Ebeling, Haguenin, Lasson, Meister, E. Meyer, Morf, Muench †, Norden, Pariselle, Riehl, W. Schulze, de Wilamowitz Berolini; Cauer, Geyser, Hoffmann, Kroll (nunc Vratislavensis), Mettlich, Muenscher, Sonnenburg, Wiese, Wuensch Monasterii. Exercitationibus proseminarii philologici interfui Bonnae per sex menses, Berolini per bis sex menses, Monasterii per sex menses; Krolli, Muenscheri, Sonnenburgi benevolentia mihi contigit, ut in seminarium Monasteriense reciperer, cuius per annum fui sodalis ordinarius; e commentationibus, quas tum composui de Lysiae orationibus VI. et VIII., orta est dissertatio inauguralis, cuius partem priorem hoc libello edito publici iuris facio. Praeterea ut sodalis essem benigne mihi permiserunt societatis franco-gallicae Haguenin, seminarii philosophici Geyser, franco-gallici Wiese. Viris illis, qui me docuerunt, gratias ago quas debeo maximas, praeter ceteros vero Carolo Muenscher, qui et huius disputationis scribendae auctor mihi exstitit et in opusculo conficiendo opera et consilio semper me adiuvit.